



VIA  
D LI

INFOR  
MALI

RES PA

Simplicen  
IECU  
TERII

DOCT  
THON

D  
G I

GIMNASIO  
ANTIQ

Cann

Colonia, typis J  
no pro

VIA BREVIS  
AD LOGICAM  
SIVE  
INFORMATIONES  
DIALECTICÆ,  
~~IN~~  
TRES PARTES DIVISÆ;

Quarum

*PRIMA*

Simplicem Apprehensionem,  
*SECUNDA*, Judicium,  
*TERTIA*, Discursum,

Ad Mentem

DOCTORIS ANGELICI

S.THOMÆ AQUINATIS

Declarat in Usum

*G Y M N A S I I*

*GYMNASIORUM COLONIENSIVM*

*ANTIQUISSIMI MONTANI*

*Cum Permissu Superiorum.*

---

Coloniæ, typis Joannis Conradi Gussen, sub Semili-  
nio prope PP, Prædicatores, 1755.

SIVITIS ALV  
MAD 1901 01 01

Philos. 3536



ET TANDEM A PROLOGA  
40.9.865



6

PRÆNOTAMEN GENERALE  
DE  
NATURA DIALECTICÆ  
E T

Tribus Operationibus Mentis.

Dialecticæ officium est informare & dirige intellectum in speculando, non lecus ac artis Pictoriæ est dirigere Pictorem in jungendo, cum enim intellectus nos sit in actibus suis ordinatè & sine errore exequendis difficultatem patiatur, regulis indiget, quibus & se & operationes suas conformet, Regulas illas Dialectica præscribit, ideoq; definitionem obtinet, quod sit *Ars docens modum bene definiendi, dividendi & argumentandi*, vel ut loquitur S. THOMAS, i. Posterior, Lect. i. : *Ars actuum rationis directiva*.

Ad bonitatem definitionis (de qua latius, ubi de modis sciendi) declarandam, inquit oportet, an constet genere & differentia. *Genus* est id, per quod res definita convenit cum aliis rebus ab ea distinctis. *Differentia* est id, per quod res definita differt ab aliis rebus

A

Res.

Res definita in præsenti est Dialectica. Utraque antè data definitio explicat Dialecticæ naturæ per unam particulam, quæ est genus, & per alias, quæ sunt differentia. Genus est: *Ars*, per hanc enim convenit Dialectica cum Rhetoricâ, Poësi, Grammaticâ &c. quæ etiam sunt artes, à Dialectica tamen distinctæ. Reliquæ particulæ sunt differentia, dum enim Rhetorica docet artificium orationis solutæ, Poësis artificium orationis ligatae, Grammatica artificium emendatæ locutionis, &c.; sola Dialectica docet artificium & modum, quo natura rei obscurè cognita debet declarari per Definitionem, Divisionem & Argumentationem, atque ita de his tradendo regulas, dirigit actus rationis vel mentis operationes.

Per operationem mentis intelligitur cognitionis intellectus, quæ est triplex: *Prima est simplex apprehensio*, per quam intellectus rem simpliciter cognoscit, nihil de ea affirmando vel negando, v.g. quando intellectus considerat hominem, non tamen affirmat, quod sit rationalis, nec negat, quod sit brutum. Ad hanc operationem pertinent termini, definitio & divisio.

*Secunda est Iudicium*, per quod intellectus de re apprehensa judicat, formando propositionem vel affirmativam ut: *homo est rationalis*.

Utra  
ilectica  
genus,  
nus est  
c et cum  
ætiam  
te. Re-  
n enim  
nis lo-  
igata,  
ocutio-  
ium &  
ittade-  
sorem  
nis na-  
vel res  
cogi-  
elt si-  
em sit-  
ndo v-  
sider:  
d sit re-  
d han-  
utio &  
ellektus  
topoli-  
ationa-  
lii

lis, vel negativam, ut: *homo non est brutum.*  
Hæc operatio complectitur propositionem.

Tertia est *discursus*, per quem intellectus ex re antè apprehensa & judicata procedit ad aliquid inferendum, mediante particulâ ergo. V. g. dum intellectus ex hac propositione: *homo non est brutum*, sic infert: *ergo homo non est equus.*

Ad judicium vel propositionem simplicem requiruntur tria, scilicet: *Subjectum*, *Prædicatum* & *Copula* NB. vel explicitè vel implicitè posita. *Subjectum* est, id de quo aliquid dicitur, & quod ponitur NB. servato ordine constructionis ante copulam. *Prædicatum* est id, quod de aliquo dicitur, & ponitur ordine constructionis post copulam. *Copula* est verbum *sum*, quod copulat vel conjungit partes propositionis, quæ sunt *subjectum* & *prædicatum*.

Dictum est primò NB. vel explicitè vel implicitè posita, aliquando enim loco totius propositionis ponitur solum verbum, ut: *studet*, aliquando ponitur nomen cum verbo, ut: *Paulus ambulat*, aliquando ponitur verbum impersonale cum vel sine casibus, ut: *pluit*, *me tñdet vita*. Hæ tamen & similes propositiones, quæ *subjectum*, *prædicatum* & *copulam* continent implicitè, debent sic relungi: *ille est studens*, *Paulus est ambulans*, *Cælum est*

*est pluens , ego sum tædens vita , vel pertæsus  
vitam.*

Dictum est secundò. NB. servato ordine constructionis , non enim illicò dicendum , illud est subjectum , quod ponitur ante ; & illud est prædicatum , quod ponitur post copulam ; v. g. . in hac propositione : *ardua est ad virtutem via* , ly *ardua* ponitur ante copulam , & tamen non est subjectum , ly : *via* ponitur post copulam , & tamen non est prædicatum , sed propositio prius construi debet ; & ante copulam poni substantivum , post copulam adjективum , dicendo : *via ad virtutem est ardua* ; & tunc subjectum & prædicatum facile cognosci possunt.

Si discursus constet duabus propositionibus , communiter dicitur *Enthymema* , in quo prima propositio dicitur *antecedens* , secunda *consequens* , ut : *Petrus est homo , ergo est rationalis.* Si constet tribus propositionibus dicitur *Syllogismus* , in quo prima propositio dicitur *Major* , secunda *Minor* , tertia *Conclusio* ,  
 ut : *omnis homo est rationalis , sed Petrus est homo , ergo Petrus est rationalis.*

PARS

PARS PRIMA  
DE  
PERTINENTIBUS AD SIMPLI-  
CEM APPREHENSIONEM.

*INFORMATIO PRIMA*  
*De Terminis.*

**P**er terminum in acceptione dialecticâ in- I,  
telligitur pars propositionis , sicut autem  
propositio alia est mentalis , quæ in men-  
te tantum formatur , alia vocalis , quæ ore  
exprimitur, alia scripta, quæ scribitur, sic etiam  
terminus aliis est Mentalis , aliis Vocalis , aliis  
Scriptus . Terminus mentalis est pars constitutiva  
propositionis mentalis , terminus vocalis est pars  
constitutiva propositionis vocalis , terminus scrip-  
tus est pars constitutiva propositionis scriptæ .  
Quarum definitionum sensus patebit ex mox  
dicendis . Cum verò terminus vocalis sit no-  
tiōnē & usitatior mentali & scripto ; ideo in  
præsenti potissimum agitur de termino vocali ,  
ejusque cum definitio , tum divisiones exa-  
minantur .

## ARTICULUS PRIMUS.

De Natura Termini Vocalis.

**2. CONCLUSIO.** Terminus vocalis definitur  
*Vox significativa ad placitum, ex quā simplex per se conficitur propositio.*

Explicatur, Dicitur primo *vox significativa ad placitum*. Vox enim triplex est, alia nihil significans, ut: *Blicitri*. Alia naturaliter significans, ut: *Gemitus Infirmi*. Alia significans ad placitum, sive quæ ab antiquis imposta est ad rem aliquam propriè significandam, sic vox: *Homo* est imposta ad significandam naturam humanam; & talis vox requirit ad terminum. Neque ad eum sufficit qualisque sonus, sed debet esse *Vox vel Sonus ab ore animalis proiatus*, cum intentione aliquid significandi, unde ad terminum non pertinent clangor tubæ, strepitus pedum, sonus campanæ &c.

Dicitur secundò. *Ex qua*, quia termini sunt partes, ex quibus propositio immediatè componitur.

Dicitur tertio; *simplex per se conficitur propositio*, quia terminus, tanquam pars, per se & ex naturâ suâ petit componere propositionem, & quidem simplicem vel categoricam, terminus enim debet componere propositionem immediatè, sola autem proposi-

tio

sitio simplex ex terminis immediate componitur. Unde in claret bonitas definitionis, quia constat genere & differentiâ, quod amplius constabit ex sequentibus.

Colliges primò. Quod voces nihil significantes, ut : *blictri*, non sint termini. Ratio est, quia non sunt signa NB. formaliter, sed materialiter talia, idéoque non deterviunt ad faciendam propositionem logicam vel doctrinalem. Dictum est : *non sunt signa NB. formaliter, sed materialiter talia*, signum enim formaliter tale est illud, quod præter se aliud manifestat, voces autem nihil significantes manifestant nudum sonum, & præterea nihil.

Dices, vox nihil significans v. g. *blictri*. potest esse subjectum in propositione, ergo potest esse terminus, P. ant., in hac propositione : *blictri est disyllabum*, ly *blictri* est subjectum, ergo. P. ant., ly *blictri* ponitur ordine constructionis ante copulam, ergo.

R. dist. ult. ant. Ly *blictri* ratione sui ponitur &c. N. A. ratione alterius C. A. subintel ligitur enim particula *vox*, ut sensus propositionis sit : *vox blictri est disyllaba*.

Urgebis primò. Sed ly *blictri* in dicta propositione accipitur ratione sui, ergo contra solutionem. P. ant., quod accipitur pro se ipso, accipitur ratione sui, sed in dicta propositione ly : *blictri* accipitur pro se ip-

so, ergo, P. min. blictri non potest accipi pro alio, quia non est vox significativa, ergo accipitur pro se ipso.

R. dist. prob. antecedentis, quod accipitur pro se ipso *in ratione formaliter significantis*, hoc accipitur ratione sui C. maj. quod accipitur pro se ipso *in ratione materialiter significantis*, hoc accipitur ratione sui N. maj. Similiter dist. min.: N. coam, blictri sumitur pro se ipso materialiter, sive pro nudâ voce.

6. Urg. 2do, sed ly blictri in dicta propositione aliquid significat, ergo, P. ant. blictri est signum vocis nihil significantis, ergo.

R. dist. prob. ant. Blictri est signum vocis nihil significantis, & illa significatio est materialis & illiterata C. ant., & illa significatio est formalis & doctrinalis N. ant. Qui audit proferri hanc vocem: blictri, nihil docetur, quia plus non intelligit, quam sonum.

7. Colliges secundô. Quod literæ & syllabæ non sunt termini logici. Ratio est, quia ex literis & syllabis propositione non fit immediate, sed mediate, id est, mediantibus integris dictionibus.

8. Dices. Quod terminat propositionem, hoc est terminus, sed literæ & syllabæ terminant propositionem, ergo sunt termini.

R. dist. maj., quod terminat propositionem formaliter spectatam, hoc est terminus C..

maj

mai. , quod terminat propositionem materia-  
liter spectatam N. maj. Similiter dist. min.  
N. coam Literæ non terminant propositi-  
onem sumptam formaliter, in ratione affirman-  
tis vel negantis.

Urgebis. Sed etiam literæ terminant pro- 9.  
positionem formaliter sumptam, ergo contra  
solutionem, P. ant., hæc est propositio A-  
ristotelis formaliter sumpta : *A est B*, sed  
hanc propositionem terminant literæ *A*, &  
*B*, ergo.

R. ad prob. C. maj. dist. min. , sed hanc  
propositionem terminant literæ *quatenus* lite-  
ræ sunt N. min. , terminant literæ *quatenus*  
ponuntur *loco terminorum* C. min. Similiter  
literæ vocales positæ in dictionibus, *Barbara*,  
*Celarent* & aliis [ de quibus agetur P. 3. Dial.]  
non considerantur à Dialecticâ , *quatenus*  
literæ sunt, sed *quatenus* significant qualita-  
tem vel quantitatem propositionum.

Colliges tertio, quod propositio ut : *Homo est* 10.  
*Doctus*, non sit terminus. Ratio est, quia ter-  
minus debet esse pars *per se ordinata* ad com-  
ponendam propositionem, sed propositio non est  
pars *per se ordinata* ad componendam propo-  
sitionem aliam , cum propositio sit aliquod  
*totum*, quod non *per se* , sed tantum *per acci-*  
*dens* ordinatur ad aliud componendum. Ea-  
dem ratio evincit , quod oratio , ut : *Animal*  
*rationale*, non sit terminus.

Dices,

II. Dices. Oratio potest componere propositionem , ergo oratio est terminus. P. ant. hæc oratio : *Animal rationale* , componit hanc propositionem : *homo est animal rationale* , ergo.

R. Diff. Prob. ant. Hæc oratio : animal rationale , sumpta *in ratione orationis* componit propositionem N. ant. sumpta *in ratione termini complexi* C. ant. animal rationale dupliciter spectari potest , 1mò , ut est terminus complexus , & sic est pars per se , & componit propositionem. 2dò , ut est oratio , & sic non est pars ; sed totum , neque propositionem componit per se , sed ad summum per accidens.

12. Colliges quartò , quod copula NB. exercitè sumpta non sit terminus. Ratio est , quia terminus debet esse pars *constituens* propositionem , copula autem exercitè sumpta non est pars propositionem constituens , sed tantum est *unio vel nexus partium* , sicut clavi non sunt *partes navis* , sed tantum *conjunctiones partium navis*. Ait. S. Thom. I. perih. Lect. I.

Dictum est copula NB. exercitè sumpta , potest enim copula spectari dupliciter , 1mò exercitè & formaliter , in quantum exercet officium copulæ , id est connectit partes , & sic non est terminus. 2dò signatè & materialiter , in quantum est vox latina ad placitum significa-

nificativa, ut in hac propositione: *Est* est copula. Sumitur etiam materialiter quando significatur per hoc nomen *copula*, ut: *copula est unio*, & sic copula potest esse terminus.

Dices imò. S. Th. 1. perib. Lect. 1. Ait: *verbum est pars enuntiationis*. Et 2. perib. Lect. 2. quandoq; in enuntiatione verbum: *est*, prædicatur secundum se, ut cum dicitur: *Socrates est*, ergo copula sive verbum *est* est terminus.

R. Ad 1. textum, velle S. Th. quod verbum non sit pars constituens propositionem, sed tantum uniens partes propositionis, hoc autem non sufficit ad rationem termini, in formâ D. Verbum est pars enuntiationis uniens C. constituens N. enuntiatio enim, ait S. Th, Lect. 9. constituitur ex subjecto & prædicato.

R. Ad 2 explicando sub distinctione: verbum est prædicatur secundum se in ratione verbi N. in virtute participii subintellecti C. nam in verb. *est* involvitur participium: *Existens*, ut sensus sit: *Socrates est existens*, sicut in hac propositione: *studere non est otium*, ly: *studere & otium* sunt subiectum & prædicatum, non in quantum verba sunt, sed in quantum ponuntur nomine substantivorum, unde propositio sic explicatur, *studium non est otium*.

Dices 2dò. Ideò copula exercitè sumpta, non esset terminus, quia est medium uniens partes propositionis, sed illa ratio nulla est, ergo,

ergo , P. min. quamvis medium syllogistmi uniat majus & minus extremum , tamen *me-*  
*dium* syllogistmi est terminus , ergo etiam  
*q* uamvis copula sit *medium* uniens partes pro-  
positionis; tamen copula est terminus.

R. Ad prob. min. C. ant. N. Coam, dispa-  
ritas est , quia medium syllogistmi ita unit ma-  
jus & minus extremum , ut tamen ipsum si-  
mul subjiciatur vel prædicetur in præmissis ,  
copula verò exercitè sumpta in propositione  
neque subjicitur neque prædicatur.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*An Voces extra Propositionem sint Actu  
Termini?*

15. Prænotandum. Quod voces significantes  
ad placitum tripliciter considerari possint ,  
imò absolute & secundum sé , in quantum sunt  
impositæ ad aliquid significandum , non ve-  
rò sunt ordinatæ ad constituendam proposicio-  
nem , voces sic acceptæ habent potentiam re-  
motam componendi propositionem , & non  
sunt *actu* termini. Secundò cum ordine ad  
propositionem , in quantum intellectus voces il-  
las ordinavit ad propositionem constituen-  
dam , sic acceptæ habent potentiam proximam  
componendi propositionem , 3tiò prout *actu*  
propositionem componunt , & ponuntur vel an-  
te vel post copulam , in hac tertią acceptio-  
ne

ne constat , quod voces sint *actu termini* ,  
dubium igitur est de vocibus secundo modo  
acceptis.

**CONCLUSIO.** Voces in secundâ accep- 16  
tione sunt *actu & propriè termini* , Ratio est ,  
quia *verba in definitionibus posita non dicunt*  
*actum sed potentiam* , ergo dum in definitione  
termini dicitur , quod sit vox , ex quâ compo-  
nitur propositio , ly *conficitur non debet in-*  
*telligi de actuali exercitio* , sed tantum de  
*potentiâ proximâ componendi* , voces autem  
positæ extra propositionem , dummodo ad  
illam per intellectum sint ordinatæ , habent  
potentiam proximam componendi , ergo  
sunt *actu & propriè termini*.

Declaratur hoc 1mò : Homo definitur ,  
quod sit animal rationale & tamen ad hoc ,  
ut aliquis dicatur *actu homo* , non requiri-  
tur ut *actu ratiocinetur*. 2dò : civis dicitur  
*actu pars civitatis* , dummodo ad *civitatem*  
sit deputatus , licet in èa *actu non moretur*.  
3tiò *judex est actu* , non tantum quoad no-  
men , sed etiam *quoad officium judex* , licet  
*actu non judicet* , ergo simili modo in præ-  
fenti philosophandum est de vocibus extra  
propositionem.

Dices 1mò . Terminus ab Aristotele de- 17.  
finitur , quod sit id , in quod *resolvitur pro-*  
*positio velut in prædicatum & subjectum* ,  
sed

sed illa definitio non convenit vocibus extrà propositionem , ergo voces extrà propositionem non sunt termini , P. min : resolutio supponit compositionem propositionis , sed voces extrà propositionem necdum sunt in compositione propositionis , ergo.

R. D. 1mam maj. Terminus *actu compo-*  
*nens* definitur ab Aristotele , quod sit id , in  
 quod resolvitur propositio &c. C. maj. ter-  
 minus *simpliciter talis* N. maj. & C. min. D.  
 cons. ergo voces extra propositionem non sunt  
 termini *actu componentes* C. coam non sunt  
 termini *simpliciter tales* N. coam , ad ter-  
 minum simpliciter talem sufficit , quod sit  
 pars , ad hoc autem , ut vox aliqua sit actu  
 pars propositionis , non requiritur , ut eam  
 actu componat , sed satis est potentia proxi-  
 ma componendi. Sicut anima rationalis se-  
 parata à corpore manet actu pars hominis ,  
 licet hominem actu non componat.

18. Urgebis. Sed etiam voces extrà proposi-  
 tionem non sunt actu termini simpliciter tales ,  
 ergo cont. sol. P. ant. voces extrà propo-  
 sitionem sunt *indifferentes* ad eam componen-  
 dam vel non componendam , ergo. P. ant.  
 vox *animal* potest æquè poni ac non poni in  
 propositione , ergo.

R. D. 2dum ant. Voces extrà propositi-  
 onem secundum se sumptæ sunt *indifferentes* C.  
 ant.

ant. : voces ordinatae ad propositionem N.

ant.

Dices 2do. Terminus dicitur à terminando, 19,  
sed voces extra propositionem non ter-  
minant propositionem, ergo non sunt ter-  
mini.

R. D. maj. Terminus dicitur à terminan-  
do vel actu vel potentia C. maj. à terminan-  
do semper actu N. maj Similiter D. min. N.  
consequentiam.

Urgebis 1mò. Quod actu terminat, est 20  
actu terminus, ergo quod potentia terminat,  
est potentia terminus.

R. D. ant. Quod actu terminat, est a-  
ctu terminus, quoad actuale exercitium ter-  
mini, C. ant., est actu terminus præesse  
quoad rationem essentiale termini N. ant  
similiter dist. cons. Vox extrà propositionem  
habet essentiam termini, vox intrà propo-  
sitionem dicit præterea exercitium compo-  
sitionis, quod termino simpliciter tali non est  
essentiale.

Urgebis 2do. Extra propositionem non 21  
datur copula, ergo etiam extra proposicio-  
nem non datur terminus.

R. C. ant. N. coam disparitas est, quia co-  
pula consistit in actuali exercitio uniendi præ-  
dicatum cum subjecto, extra propositionem  
verò non exerceatur unio prædicati cum sub-  
jecto

jecto. Terminus verò simpliciter talis non consistit in actuali exercitio terminandi , sed in eo , quod vox sit ab intellectu ordinata ad propositionem constituendam , qui ordo etiam habetur extra propositionem.

22. Urgebis 3<sup>to</sup>. Metallum latens in mineris habet potentiam , ut exinde cedatur moneta , & tamen non dicitur actu pars monetæ ergo à pari licet voces extra propositionem habeant potentiam , ut exinde fiat propositio , tamen non debent dici actu partes propositionis

R. D. I<sup>m</sup>am partem antecedentis , metallum latens in mineris habet potentiam remotam , ut exinde cedatur moneta C. ant. habet potentiam proximam N. ant. Sicut ergo metallum in officinâ monetariâ elaboratum , sit proximè potens induere formam monetæ , & tunc dicitur pars monetæ , sic de voce per intellectum ordinatâ ad propositionem.

### ARTICULUS TERTIUS,

*De Divisione Termini vocalis.*

23. A Distinguendum unum terminum ab alio Dialetici maximè attendunt ad modum significandi , fieri enim potest , ut una & eadem vox habeat eandem rem significatam , propter diversum tamen modum significan-

nificandi pertinet ad diversos terminos , v.  
g. hæc vox : *Petrus* , est terminus *categorematicus* , in quantum sola potest esse integrum subjectum vel prædicatum in propositione. Est etiam terminus *incomplexus* , quia non habet partes separatim significantes. Est terminus *singularis* , quia significat unum tantum &c. Ad vitandam interim confusionem benè visum est , præsentem articulum in duos paragraphos dividi.

## PARAGRAPHUS PRIMUS.

*De quinque primis Divisionibus Termini Vocalis.*

**CONCLUSIO I.** Terminus vocalis<sup>24</sup> immò dividitur in terminum *Categorematicum* , & *Syncategorematicum*.

Declaratur : Terminus *categorematicus* est *significatus per se* , id est : sine aliâ voce adjunctâ vel subintellectâ , perfectè & determinatè significat , & solus potest in propositione esse integrum subjectum , vel saltem prædicatum , ut : *homo* , *homines* .

Terminus *syncategorematicus* est *consignificatus cum alio* , scilicet termino *categorematico* , nec potest constituere integrum subjectum nec prædicatum in propositione , sed velut pars propositionis minus principalis adjungitur termino *categorematico* , eum-

B

que

que modifcat. Numerantur autem termini syncategoromatici: imò omnia adverbia modum significantia, ut: *benè*, *malè*, *velociter*, 2dò *casus obliqui*, ut: *domino*, *lapidis*, 3tiò signa logica, sic dicta, quia ex illis colligitur quantitas & qualitas propositionum, ut: *omnis*, *nullis*, *aliquis* &c.

His additur terminus *mixtus*, qui unā voce terminum categorematicum & syncategorematicum virtualiter & aequivalenter includit. Ut: *nemo* : id est, *nullus homo*, *nihil*, id est, *nulla res*.

25 Quæres. An etiam nomina adjectiva sint termini categorematici?

R. Affirmativè. Ratio est, quia nomina adjectiva per se significant determinatam formam, licet non significant determinatum *subjectum*, sic adjectivum *niger* non quidem significant determinatum *subjectum* nigredinis, significant tamen determinatam formam, scilicet nigredinem. Deinde adjectiva saltem possunt constituere integrum *prædicatum propositionis*, ut: *homo est albus*, quod sufficit ad terminum categorematicum. Aliud est in signis logicis, quæ ratione sui nec possunt esse integrum *subjectum*, nec *prædicatum propositionis*, neque significant aliquam formam determinatam categorematicè, sed syncategorematicè,

ut

ut enim ait Aristoteles i Perib. Lect 5.  
Omnis non significat universalitatem, sed uni-  
versaliter.

Dices imò contra terminum categor-  
maticum. Si terminus categorematicus  
constitueret solus integrum subjectum vel  
prædicatum in propositione, ergo in hac  
propositione : *homo est animal rationale*, ly  
*animal* non esset terminus categorematicus,  
sed consequens est falsum, ergo & antece-  
dens, P. seq. maj in dictâ proportione ly  
*animal* solum non constituit integrum prædi-  
catum, ergo.

R. D. prob. sequelæ, ly *animal* non con-  
stituit integrum prædicatum *actu* C. ant.  
non constituit integrum prædicatum *poten-  
tia* N. ant. *Animal* tamen potest constitu-  
ere integrum prædicatum, ut in hac propo-  
sitione : *homo est animal*.

Dices 2dò contra terminum syncatego-  
rematicum. Ideo copula non est terminus  
quia est colligatio partium, sed etiam ter-  
minus syncategorematicus est *colligatio par-  
tium*, ergo etiam syncategoremeta non  
sunt termini. Min. est S. Th. qui i. Perib.  
Lect. i. sic ait : *Syncategoremeta magis sunt  
colligationes partium, quam partes*, ergo.

Respondet S. Th. ibid. explicans men-  
tem suam, quod syncategoremeta non sint

partes principales propositionis, sed tantum partes minus principales, quæ principalibus sive terminis categorematicis adduntur, eosque modificant, copula autem non est modulus subjecti vel prædicati.

In formâ R. D. maj. Ideò copula non est terminus, quia est colligatio partium uniusens partes C. maj. modificans partes N. maj. sed etiam terminus syncategorematicus est colligatio partium modificans partes C. min. uniusens N. min.

28 Dices 3tiò. Terminus debet per se componere propositionem, sed terminus syncategorematicus non componit propositionem per se, ergo non est terminus. P. min. componit propositionem *cum alio*, neämpe categorematico, ergo.

R. D. maj. Terminus debet per se componere propositionem vel ut pars *principalis* vel *minus principalis* C. maj. semper ut pars *principalis* N. maj. sed terminus syncategorematicus non componit propositionem per se ut pars *principalis* C. min. ut pars *minus principalis* N. min.

29 CONCLUSIO II. Terminus secundò dividitur in terminum *Incomplexum & Complexum*.

Declaratur: terminus incomplexus vel simplex est, cuius partes separatae aus pro rorsus nihil

nihil significant, ut homo, vel saltrem non significant idem quod conjuncte, ut do minus.

Terminus complexus sive compositus est, cujus partes separatae idem significant, quod conjuncte, ut: homo albus.

Quæres. Quæ conditiones requirantur ad terminum complexum.

R. Tres, Prima est, ut una ambarum vocum habeat se per modum determinabilis vel substantivi, & alia per modum determinantis vel adjективi, unde ad terminum complexum non sufficit coacervari Synonyma.

Secunda est, ut ambæ partes sint termini categorematici, & proinde in nominativo, quia terminus complexus debet participare rationem sui divisi vel termini categorematici, atque ita debet habere partes per se significativas, soli autem nominativo convenit per se significare.

Tertia est, ut partes separatae significant juxta significationem totius, ut in conklusione dictum est.

Defectu harum conditionum à termino complexo excluduntur primò: homo leo, gladius ensis, secundò, nullus homo, filius Petri, aurifaber, tertio, respublica, leopardus &c.

Dices. Non datur terminus compositus,

ergo nec complexus, P. ant. quod est *compositum*, hoc pertinet ad secundam mentis operationem, sed terminus non pertinet ad secundam mentis operationem, ergo. P. maj. esse compositum habetur per compositionem, sed compositio pertinet ad secundam mentis operationem, ergo.

R. D. prob. maj. esse compositum habetur per compositionem, *vel judicativam vel apprehensivam* C. maj. habetur per compositionem *semper judicativam* N. maj. sed compositio *judicativa* pertinet ad secundam mentis operationem C. min. compositio *apprehensiva* N. min. Terminus vero complexus est compositus compositione apprehensivâ, quæ sit per primam operationem intellectûs, sine affirmatione vel negatione.

32. Urgebis imò. Sed etiam terminus complexus non est compositus compositione apprehensivâ, ergo contra solut. P. ant., si terminus complexus esset compositus compositione apprehensivâ, ergo non esset terminus, sed consequens est falsum, ergo & antecedens P. seq. maj. terminus debet esse quid *simplex*, sed quod est compositum compositione apprehensivâ, non est quid simplex, ergo.

R. D. prob. sequelæ, terminus debet esse quid simplex *formaliter* C. maj. debet esse

esse quid simplex materialiter N. maj. simili-  
liter D. min. N. coram. terminus comple-  
xus est compositus materialiter, quia con-  
stat pluribus vocibus, velut materiâ, est ve-  
rò simplex formaliter, quia est formaliter  
*unus & simplex terminus.*

Urgebis 2dò. Sed terminus complexus 33.  
non est formaliter simplex terminus, ergo  
contra solutionem. P. ant. quod non est  
formaliter pars, non est formaliter simplex  
terminus, sed terminus complexus non est  
formaliter pars, ergo P. min. totum non est  
formaliter pars, sed terminus complexus  
v. g. *homo doctus*, est totum, ergo P. min.  
oratio est totum, sed *homo doctus* est *ora-*  
*tio*, ergo.

R. ad ult. Syllog. C. maj. D. min. sed  
*homo doctus* sub ratione totius est oratio,  
C. min. sub ratione partis N. min. Sicut ca-  
put sub diversâ ratione est pars, in quan-  
tum ordinatur ad componendum hominem,  
& est totum, in quantum est compositum  
ex fronte, oculis, ore &c. sic terminus com-  
plexus sub diversa ratione est terminus & ora-  
tio, est terminus, in quantum est pars per se  
ordinata ad componendam propositionem,  
est oratio, in quantum est aliquod totum  
compositum, quod per se non ordinatur ad  
aliud componendum.

**34 CONCLUSIO III.** : Terminus dividitur in *Univocum, Aequivocum & Analogum.*  
Ante declarationem hujus divisionis.

Observa, quod terminus univocus ( sic de æquivoco & analogo ) possit dupliciter accipi, semel pro *univoco univocante*, & temel pro *univocis univocatis*. *Univocum univocans* est vox vel nomen, quod univocè significat plura, *Univoca univocata* sunt ipsa plura significata, v. g. *ly homo* est univocus univocans, & significat Petrum, Paulum &c. *univoca univocata* sunt *Petrus, Paulus &c.*

- Declaratur Divisio : *Terminus univocus* est, qui *significat plura convenientia non solum in eodem nomine, sed etiam in eadem ratione*, sic *homo* est terminus univocus, quia significat plura sc. Petrum, Paulum, Joannem &c. quibus non tantum nomen *homo*, sed etiam ratio significata per nomen *homo* scil. *Animal rationale*, eodem modo convenit.

Hujus univocationis signum est, quod ad quæstionein, quare *Petrus est homo?* debeas respondere, quia est animal rationale, quare *Paulus est homo?* quia est animal rationale.

*Terminus æquivocus* est, qui *significat plura solo nomine convenientia, in ratione vero NB. per nomen importata omnino diversa*, sic *canis* est terminus æquivocus respectu *canis terrestris, & canis cœlestis*, quia his quidem

dem convenit nomen canis , sed sub diversa ratione.

Cujus signum est , quod ad quæstionem , quare canis terrestris est canis ? debeas respondere , quia est animal latrabile , quare canis cœlestis est canis ? quia est certa series stellatum , in specie canis , ubi vides diversam rationem.

Dictum est : *in ratione NB. per nomen importata* , quia canis terrestris & cœlestis in alia ratione v. g. corporis , albi , substantiæ , unicæ vocè convenire possunt.

Terminus analogus est , qui significat plura nomine convenientia , *in ratione vero per nomen significata* , neque omnino eadem , ut intermino univoco , neque omnino diversa , ut intermino æquivoco , sed partim eadem , & partim diversa.

Quod dupliciter fieri potest , 1mō , ratio 35. significata per nomen analogum est eadem secundū terminum , diverso tamen modo pluribus convenit , & tunc est terminus *analogus analogiæ attributionis* , v. g. sanum convenit tam animali , quam colori & medicinæ , diverso tamen modo , quia animal dicitur sanum , in quantum est subjectum sanitatis , color est sanus , in quantum est signum sanitatis , medicina est sana , in quantum est cœla sanitatis . 2dō , ratio significata per no-

men analogum est simpliciter in pluribus diversa, cum aliqua tamen similitudine dicitur tam de uno quam de altero, & tunc est terminus *analogus analogia proportionalitatis*, v. g. *Principium respectu auroræ & cordis*, sicut enim se habet aurora ad principiandam diem, sic se habet cor ad principiandam vitam. Circa terminum analogum analogiā attributionis,

**Advertendum.** Quod in analogiis analogiā attributionis reperiantur duplicitis generis 36 analogata, unum dicitur *analogatum vel significatum principale*, cui velut subiecto ratio per nomen analogum significata intrinsecè inest: unde axioma: *Nomen analogum stat pro famosiore analogato.* Alia sunt analogata minùs principalia, quæ illam rationem tantùm participant extrinsecè, & ordinantur ad analogatum principale, v. g. ratio significata per nomen *sanum* est *sanitas*, principale analogatum est *animal*, cui *sanitas* est intrinseca, analogata minùs principalia sunt, *color & medicina*, cum illa tantùm dicantur *sana* extrinsecè, & ordinentur ad sanitatem in animali, vel indicandam, ut: *color*, vel causandam, ut: *medicina*.

**Dubitabis.** Si substantivo æquivoco ad 37. datur adjективum determinans significacionem

nem nominis, v. g. *canis corporeus*, an tunc substantivum maneat æquivocum, an fiat univocum?

R. Fieri terminum univocum. Ratio est, quia tunc nomen v. g. *canis* quod *absolutè sumptum* significabat rationes divertas, determinatur per adjективum v. g. *corporeus* ad significandam *formaliter unam rationem corporis*, quam *canis terrestris & cœlestis univocè participant*.

**CONCLUSIO IV.** : terminus 41038.  
dividitur in *communem & singularem*.

Declaratur: Terminus *communis* est, qui *significat plura divisim*, id est, qui significat plura, de quibus *singulis in distinctis propositionibus affirmari potest*, ut: *animal* significat hominem & brutum, & de quolibet illorum per distinctas propositiones prædicari potest. Unde patet differentia inter terminum *communem & collectivum*, quia terminus *collectivus* quidem significat *plura*, sed *simul & conjunctim*, neque de *singulis* prædicari potest, sic *exercitus NB.* *collectivè sumptus* non potest prædicari de *singulis militibus*, sed tantum de *omnibus simul*.

Dictum est: *Exercitus NB, collectivè sumptus*, scilicet pro totâ collectione militum, si enim sumatur divisivè, respectu hujus & illius exercitū, tunc est terminus *communis*,

nis , ergo idem nomen v. g. *exercitus* sub diverso respectu est terminus collectivus , & communis , sicut idem nomen v.g. *canis* sub diverso respectu potest esse æquivo-  
cus & univocus.

39 Terminus singularis est , qui unum *tan-  
tum* NB. per se significat , ut : *Petrus*. Dictum  
est : *unum tantum* NB. per se significat , quia  
*per accidens* est , quod ex particulari homi-  
num impositione plures habeant nomen  
*Petri*.

Terminus singularis quadruplex est imò  
*determinatus* , qui unum absolutè & deter-  
minate significat , ut : *Petrus*. 2dò *demonstra-  
tivus* , quando termino communi apponi-  
tur pronomen demonstrativum , ut : *Hic ho-  
mo*. 3tiò , *vagus* , quando termino commu-  
ni additur signum logicum , ut : *Aliquis ho-  
mo* , 4tò *ex suppositione* , quando factâ aliquâ  
suppositione unum tantùm significatur , ut  
*ex suppositione* , quod B. V. habuerit uni-  
cum filium , *B. M. V.* *Filius* ponitur pro Chri-  
sto.

40 Dices. Hoc nomen *sol* est terminus  
communis , sed sol non significat plura di-  
visim , ergo terminus communis malè defi-  
nitur , quod significet plura divisim , P.  
min. non dantur plures soles , ergo.

R. D. prob. min. non dantur plures so-  
les

les actu C. ant. potentia N. ant. Ad terminum communem sufficit, quod plura possint dari, plures autem soles absolute sunt possibles.

Urgebis. Ergo saltem hoc nomen Deus 41  
non erit terminus communis. P. seq. plures  
Dii nec actu dantur, nec dari possunt, ergo.

R. D. seq. hoc nomen Deus non est terminus communis quoad rem significatam C. seq. quoad modum significandi N. seq. Res significata per nomen Deus, scilicet natura Divina non est communis, sed summè singularis, nomen tamen Deus habet modum significandi communem, quia non exprimit singularitatem, hæc enim exprimeretur, dicendo: hic Deus. Unde ly Deus est terminus communis *Communitate Dialecticæ*, quæ sumitur penes modum significandi, non verò *communitate Logicæ*, quæ dicitur universalitas, & spectari debet penes rem significatam.

CONCLUSIO V. Terminus 42  
viditur in *Transcendentem* & non *Transcendentem*.

Declaratur, Terminus transcendentis est, qui in omnibus rebus invenitur, & de omnibus potest prædicari. Transcendentia autem enumerantur sex, scilicet: *Res*, *Ens*, *Verum*, *Bonum*, *Aliquid*, *Unum*, ly *Res* indicat

dicat essentiam, ly *Ens* existentiam, ly *V-*  
*erum* indicat, quod omnia possint ab intelle-  
 ctu cognosci, ly *Bonum*, quod omnia pos-  
 sint à voluntate appeti, ly *Aliquid*, quod  
 una res non sit alia, ly *Unum*, quod res  
 in se sit unum quid & non plura.

Terminus non transcendens est, qui in  
 aliquibus tantum invenitur, & de iis prædi-  
 catur, ut: *homo*.

## PARAGRAPHUS SECUNDUS.

*De ceteris Divisionibus Termini.*

43 CONCLUSIO VI. Terminus 6to di-  
 viditur in *Concretum & Abstractum*.

Declaratur. Terminus concretus est,  
 qui significat *formam simul & subjectum*, ut  
*album* significat albedinem, quæ est *forma*,  
 & *subjectum*, cui albedo inest.

Terminus abstractus est, qui significat *so-  
 lam formam*. ut: *albedo*.

44 Terminus concretus & abstractus subdivi-  
 duntur in *Substantiale & Accidentale*,  
 quæ subdivisio faciliè intelligitur ex axiome  
 Dialetico; *Tale est concretum vel abstractum,*  
*qualis est forma significata*, unde

1<sup>o</sup> *concretum substantiale est*, quod  
 significat *formam substantialem cum subje-  
 to*, ut: *homo*.

2<sup>o</sup> *concretum accidentale est*, quod  
 lig-

significat formam accidentalem cum subje-  
cto , ut : *album*.

3tò abstractum substantiale est , quod  
significat solam formam substantialem , ut  
*humanitas*.

4tò abstractum accidentale est , quod  
significat solam formam accidentalem , ut :  
*albedo*.

Terminus concretus accidentalis iterum <sup>45</sup>  
alius est *intrinsecè denominans* , aliis *extrin-  
secè denominans*. Terminus concretus acci-  
dentalis intrinsecè denominans est , qui sig-  
nificat formam accidentalem & simul sub-  
jectum , cui talis forma intrinseca est , vel inhæ-  
ret , ut : *dulce* , significat dulcedinem velut  
formam accidentalem intrinsecam vel inhæ-  
rentem subjecto , v. g. *melli* , *Saccharo* &c.  
hoc dicitur *subjectum inhæsionis* , & *denomina-  
tionis intrinsecæ*.

Terminus concretus accidentalis extrin-  
secè denominans est , qui significat formam  
accidentalem & simul subjectum , ad quod  
talis forma tantum extrinsecè terminatur ,  
non verò ei inhæret , ut *visum* significat visio-  
nem velut formam accidentalem , quæ sub-  
jecto v. g. *parieti* non inhæret , sed tantum  
ad illum terminatur , & denominat parietem  
extrinsecè *visum* , unde paries respectu visio-  
nis

nis non est subjectum inhæsionis, sed tantum denominationis extrinsecæ.

46 Dices. Terminus concretus & abstractus non differunt, ergo mala est divisio, P. ant. terminus concretus & abstractus idem significant, v. g. *album* & *albedo* significant eandem formam, ergo.

R. ad Prob, ant. D. ant. terminus concretus & abstractus significant idem ex parte rei significat. C. ant. significant idem ex parte modi significandi N. ant. eadem est res significata per ly *album* & *albedo*, modus tamen significandi est diversus, nam *album* significat albedinem simul & subjectum, *albedo* vero significat solam albedinem non significando subjectum.

47 Urgebis. Sed *albedo* non potest significari sine subjecto, ergo contra solut. P. ant. *albedo* debet significari, sicut est, sed *albedo* non est sine subjecto, ergo. P. min. forma accidentalis non est sine subjecto, sed *albedo* est forma accidentalis, ergo.

R. D. P. ant. *albedo* debet significari quoad rem significatum sicut est C. maj. debet significari quoad modum significandi N. maj. & C. min. D. cons. res significata per ly *albedo* semper inest subjecto, hæc tamen vox *albedo* quoad modum significandi non exprimit subjectum albedinis.

CON-

**CONCLUSIO VII.** Terminus 7mo  
dividitur in *Connotativum & Absolutum.*

Declaratur. Terminus connotativus est, qui significat aliquid per modum alteri adjacentis, aut per modum adjectivi, sive sit verum adjectivum ut : *album*, *dulce*, sive habeat modum significandi adjectivum, ut : *Dominus*, *Servus*, quæ connotant subjectum.

Terminus absolutus est, qui significat aliquid per modum per se stantis, aut per modum substantiæ, sive sit vera substantia, ut : *homo*, *lapis*, sive habeat modum significandi proprium substantiæ, ut : *dulcedo*, *albedo*, quæ significant formam non connotando subjectum.

Quænam nomina sint termini connotati-<sup>49</sup>  
vi & quænam absoluti, discernendum est ex  
sequentibus regulis.

**Prima** : omnia nomina adjectiva sunt termini connotativi, ut, *album*, *humanum*.

**2da** : nomina substantiva concreta signifi-  
cantia formam accidentalem sunt termini con-  
notativi, ut : *Pater*, *Rex*, *Pictor*.

**3ta** : nomina substantiva concreta signifi-  
cantia formam substantialiem sunt termini ab-  
soluti, ut, *homo*, *leo*, *arbor*.

**4ta** : omnia nomina abstracta sunt termini  
absoluti, ut : *albedo*, *humanitas*.

Dices. Nomina adjectiva : *cæcus*, *in-5°*  
*doctus*, & similia non sunt termini connota-

C tivi,

tivi, ergo non omnia adjectiva sunt termini connotativi, P. ant. non significant aliquid per modum alteri adjacentis, ergo, P. ant. significant *absentiam formae*: visionis, doctrinæ &c. ergo.

R. D. 2dum ant. non significant aliquid per modum alteri *positivè adjacentis* C. ant. non significant aliquid per modum alteri *adjacentis privativè* N. ant. *Cæcus* enim significat cœcitatem vel privationem visus, quasi illa adjaceret oculo. Pro meliori notitiâ horum terminorum.

51 Advertendum imò, quod omnes termini connotativi sint concreti, non tamen omnes termini concreti sint connotativi, nam *homo* est terminus concretus, & tamen non est terminus connotativus. Similiter omnes termini abstracti sunt absoluti, non tamen omnes termini absoluti sunt abstracti, nam *lapis* est terminus absolutus, & tamen non est terminus abstractus.

52 2dò, in termino connotativo & concreto accidentalì distingui debet duplex significatum, unam *formale* & primarium, alterum *materiale* & secundarium, significatum *formale* est ipsa forma, quæ nomine connotativo vel concreto accidentalì exprimitur, significatum *materiale* est subjectum, cui talis forma adjacet vel inhæret. Dicitur

tur autem forma significatum primarium, quia NB. secundum significationem forma importatur in recto vel nominativo, subjectum vero in obliquo. *album* enim quoad significationem sic philosophicè explicatur: *albedo* adjacens vel inherens subjecto.

Dictum est NB. secundum significationem, si enim spectetur suppositio, quam ly *album* habet in propositione, sic explicatur, *album* est res habens albedinem, ubi subjectum importatur in recto, & forma in obliquo, unde *album* primariò significat formam, supponit tamen pro subjecto, v. g. in hac propositione: *saccharum est dulce*, ly *dulce* non supponit pro dulcedine, alias illa propositio faceret hunc sensum: *saccharum est dulcedo*, sed supponit pro subjecto, ut sensus propositionis sit: *saccharum est subjectum dulcedinis*.

CONCLUSIO VIII. Terminus 8vò di- 53  
viditur in terminum Finitum & Infinitum.

Declaratur: Terminus finitus est vox, cui nulla negatio immediate apponitur, & præterea rem determinatam determinatè significat, ut: *homo*. Terminus infinitus est, cui particula NON immediate anteponitur, & nullam rem determinatè significat, ut: *non-lapis*, hic enim terminus *non-lapis* non significat, quid res sit, sed tantum, quid non sit, & de omnibus (præterquam de la-

pide in infinitum prædicari potest, v.g. *homo est non lapis, equus est non lapis &c.* ubi

**54** Advertendum insuper, quod negatio apud Philosophos sit duplex, alia *negans*, alia *infinitans*, negatio *negans* est: quando particula *non* in propositione afficit copulam, & facit propositionem negativam, ut: *lapis non est homo*. Negatio *infinitans* est, quando particula *non* afficit solum terminum, eumque reddit infinitum, vel incertum, ut dictum est.

**55 CONCLUSIO IX.** Terminus 9nō dividitur in terminum *Prima intentionis*, & terminum *Secunda intentionis*.

Declaratur: Terminus primæ intentionis significat aliquid reale, sive quod rei convenit independenter ab intellectu, ut: *animal, homo*.

Terminus secundæ intentionis est, qui significat aliquid rationis, sive quod rei convenit tantum per intellectum, ut: *subiectum, predicatum, genus, species &c.* de quibus in Logicâ.

**56 CONCLUSIO X.** Termini inter se comparati dividuntur in *Pertinentes* & *Impertinentes*.

Declaratur: Termini impertinentes sunt, inter quos nulla est habitudo connexionis vel repugnancie, sive quorum unus aliud nec interfert,

fert , nec excludit , ut *sapiens & dives* in homine , non enim sequitur per affirmati-  
nem , *homo est sapiens* , ergo *est dives* , ne-  
que per negationem , ergo *non est dives* , sed  
sapientia potest esse in homine vel cum , vel  
sine divitiis.

Termini pertinentes sunt , *inter quos est  
habitudo connexionis vel repugnantiae* , id est ,  
quorum unus vel sequitur ex altero per affir-  
mationem , & tum dicuntur termini per-  
tinentes *sequelâ* , ut : *est homo* , ergo *est animal* ,  
vel unus excluditur ab altero per negatio-  
nem , & tum dicuntur termini *pertinentes  
repugnantiam* , ut : *est homo* , ergo *non est equus*.

Termini pertinentes *sequelâ* alii sunt *con- 57  
vertibiles* , alii *non convertibiles* , illi sunt  
convertibles , quorum unus infert alterum ,  
& vicissim ab illo infertur , ut , *est homo* , er-  
go *est rationalis* , & econtra , *est rationalis* ,  
ergo *est homo* . Termini non convertibles  
sunt , quorum unus infert alterum , non ta-  
men vicissim ab altero infertur , quamvis  
enim bene sequatur , *est homo* , ergo *est ani-  
mal* , non tamen vice versa : *est animal* , er-  
go *est homo* .

Termini pertinentes *repugnantiam* alii sunt *58  
disparati* , alii *propriè oppositi* , disparati sunt ,  
qui habent inter se naturalem diversitatem ,  
non tamen propriè dictam oppositionem ,

ut : *homo & equus.* Propriè oppositi sunt , quos intercedit vera aliqua oppositio.

Quadruplex autem est oppositio terminorum.


59 **1ma contraria** , quâ duo positiva se mutuò expellunt ab eodem subjecto , ut : *calor & frigus.*

**2da contradictoria** , quæ intercedit inter duos terminos , quorum unus est finitus , alter infinitus , sic opponuntur : *homo, non homo.*

**3ta privativa** , quæ intercedit inter formam & ejus privationem , sic opponuntur *Vita & Mors.*

**4ta relativa** , quæ intercedit inter duos terminos , quorum unus dicit relationem ad alterum , sic opponuntur *Pater & Filius.*

Hæc de terminis dicta sufficiant. Cetera , quæ de Universalibus , Anteprædicamentis . Prædicamentis , & Postprædicamentis ab aliquibus ad Dialecticam transcribuntur , utilius in Logicâ discutientur.



## INFORMATIO SECUNDA.

### De Nomine , Verbo , & Oratione.

#### ARTICULUS PRIMUS.

##### De Nomine.

1. **CONCLUSIO.** Nomen benè definitur vox significativa ad placitum , sine tempore ,

*re, cuius nulla pars separata (idem) significat, finita & recta.*

Explicatur definitio. Dicitur primò : *Vox significativa ad placitum, quæ particulæ patent ex dictis Inform 1. N. 2., & ponuntur loco generis, quia per illas convenit nomen cum terminis, verbo & oratione, cæteræ vero particulæ ponuntur pro differentiâ, &*

Dicitur 2dò. *Sine tempore, ut distinguantur nomen à verbo, quod significat cum tempore, ubi*

Advertendum, quod bene distingui debant hæc tria : significare cum tempore, significare tempus, & connotare tempus, *significare cum tempore* est significare actionem vel passionem, prout in certâ temporis differentiâ exercetur, & sic significare cum tempore convenit soli verbo. *Significare tempus* convenit vocibus institutis ad significandum tempus, vel certam temporis partem, tales sunt, *hora, dies, annus &c.* *Connotare tempus* proprium est vocibus significantibus aliquam actionem vel passionem, que certo tempore fieri solet, non tamen exprimendo, an facta sit, an fiat, an sit futura, tales voces sunt : *prandium, cena &c.* Ex quibus constat, quod nomen quidem possit significare vel connotare tempus,

pus, non tamen possit significare cum tempore.

3. Dicitur 3tiò : *cujus nulla pars separata* (*idem*) *significat*, ut excludantur terminus complexus & oratio, in quibus non est unum simplex, sed plura sunt nomina. Additum: *idem*, si enim partes alicujus nominis separatae aliud significant, quam conjunctæ, v. g. *do minus*, tunc talis vox sicut manet terminus incomplexus, sic etiam manet simpliciter nomen.

Dicitur 4tò: *finita*, ut excludantur nomina infinita, v. g. *non homo*, *non lapis*, quæ propriè nomina non sunt; quia non significant aliquid determinatè.

Dicitur 5tò: *& recta*, ut excludantur casus obliqui, quia solus nominativus rem simpliciter & absolute significat, casus autem obliqui sicut cadunt à recto, sic illis primariò non est imposta aliqua significatio, sed hæc à casu recto in obliquos derivatur.

4. Dices 1mò. *Boatus*, *fletus*, & similia sunt voces naturaliter significantes, & tamen sunt vera nomina, ergo male dicitur, quod nomen sit vox significativa ad placitum.

R. D. 1mam part. ant. *Boatus exercitè sumptus*, in quantum est sonus procedens ab ore bovis, est vox naturaliter significans,

C. ant.

C. ant. signatè sumptus, in quantum est dictio instituta ad aliquid significandum, N. ant. hoc posteriore modo *Boatus* est nomen.

Dices 2dò. *Leopardus* est verum nomen, 5. & tamen habet partes separatim significantes scilicet *Leo* & *Pardus*, ergo non requiritur, ut nominis nulla pars separata significet.

R. D. 2dam part. ant. *Leopardus* habet partes separatim significantes, idem quod significabant conjunctæ N. ant. significantes aliud, quam significabant conjunctæ C. ant. *Leopardus* enim significat brutum à Leone & Pardo distinctum. Idem dicendum est de aliis nominibus compositæ figuræ, ut : *aurifaber*, *Jurisconsultus*, quorum partes, si separantur, non retinent significationem, quam habebant in conjunctione, rationem dat S. Th. I. perib. Lect. 4. in verbis : *Significatio est forma nominis, nulla autem pars separata habet formam totius, sicut manus abscissa non habet formam humanam.*

Dices 3tiò. Terminus infinitus est terminus, ergo etiam nomen infinitum est nomen. 6.

R. N. coam. Dilparitas est, quia ad terminum sufficit, esse partem constitutivam propositionis, quod etiam convenit termino infinito. Ad nomen autem requiritur, ut ali-

C 5 quid

quid determinatè significet, quod in nomen infinitum non cadit,

## ARTICULUS SECUNDUS

### De Verbo.

7. CONCLUSIO. Verbum benè definitur, quod sit vox significativa ad placitum, cum tempore, cuius nulla pars separata (idem) significat, finita & recta, & eorum, quæ de altero dicuntur semper est nota.

Explicatur definitio: Dicitur **1**mò: Vox significativa ad placitum, per quas particulas verbum convenit cum termino, nomine, & oratione.

Dicitur **2**dò: Cum tempore, ut verbum differat à nomine, V.N. 2. Dicitur autem verbum significare cum tempore, quia vel *quoad rem significatam*, vel *quoad modum significandi importat actionem vel passionem exercitè talem*, id est, prout sit in aliqua differentia temporis, sic lego significat lectionem, prout eam in tempore præsenti exerceo. Similiter verba neutra: *quiesco*, *sileo* &c. Item verbum substantivum *sum*, licet propriè non significant actionem vel passionem, significant tamen aliquid per modum actionis vel passionis, significant enim aliquid, quod mihi exercitè in præsenti convenit, nam *quiesco* significat quietem, quam jam posideo, *taceo* significat

cat silentium , quod jam præsto , sum significat esse , quod jam habeo &c.

Dicitur 3tò. Cujus nulla pars separata ( idem ) significat , ut excludantur hæc & similia composita : docendo disco , dolore affior , amore complector , quæ non sunt simpliciter verba.

Dicitur 4tò : Finita , ad excludenda verba infinita , ut : non-lego , non-amor & similia , quæ quia non significant determinatè actionem vel passionem , à verbis excluduntur . An autem similia verba sumantur negativè , an infinitanter , dependet ab intentione proferentis , & ex resolutione deprehendi potest , si enim v. g. non lego sic resolvatur : ego non sum legens , tunc non lego sumitur negativè , si verò sic resolvatur : ego sum non-legens , tunc non-lego sumitur infinitanter .

Dicitur 5tò. Et recta . Ut excludantur verba obliqua Nomine verborum obliquorum intelliguntur omnes modi , excepto indicativo , & omnia tempora , excepto tempore præsenti , cum illa non significant actionem vel passionem simpliciter & ratione suî , sed tantùm secundùm quid , & ratione temporis præsensis , modi indicativi , ut constat ex verbis S. Th. 2. Perib. Lect. I. Præteritum & futurum , quæ significant cajus verbi , dicuntur per respectum ad præsens , unde si dicatur , hoc erit

men  
tur,  
cum  
igni-  
ro di-  
  
Pox  
culas  
ne ,  
  
dif-  
ver-  
uad  
andi  
ē ta-  
em-  
eam  
ver-  
num  
nisi-  
cta-  
onis,  
reite  
ficat  
nisi-  
cat

etit idem est, ac si dicatur, hoc est futurum. Hoc fuit, hoc est præteritum. Perinde autem est, in quo numero vel personâ verbum prælens indicativi ponatur, diversitas enim penes numerum & personam est tantum grammatis, & ideo S. Th. I. Perih. Lect. 5. ait: Variatio, que in verbo fit penes numerum & personam, non constituit casum verbi, quia talis variatio non est ex parte actionis, sed ex parte subjecti, variatio autem per modos & tempora respicit actionem, ideoque constituit casum verbi.

Dicitur Et̄o: Et eorum, que de altero dicuntur, semper est nota. Ad indicandum, quod verbum debeat significare connexionem prædicati cum subjecto, per quod verbum distinguitur à participio, quod quidem significat aliquam actionem vel passionem sub certa temporis differentia, & hinc dicitur nomen verbale, non tamen est verbum, quia non denotat unionem prædicati cum subjecto. Ubi

8. Advertendum, quod significare unionem prædicati cum subjecto, non tantum conveniat verbo substantivo sum, utpote quod est copula partium propositionis; sed etiam verbis adjectivis vel significantibus rem subjecto adjacentem, v. g. video, amo, lego &c. Ratio est, quia hæc verba denotant suum significatum velut formam subjecto actu

actu convenire, consequenter significant unionem prædicati subintellecti, cum subiecto, cui forma significata exercitè inest, v. g. Verbum *video*, denotat, quod visio importata per subintellectum participium *videns* mihi actu sit unita, quæ unio vel convenientia enunciativè declaratur per propositionem de tertio adjacente: *Ego sum videns.*

Dices imò. Verbum quod absolvitur ab omni tempore, non significat cum tempore, sed verbum *sum* quandoque absolvitur ab omni tempore, ut patet in propositionibus æternæ veritatis v. g. *homo est animal*, ergo verbum *sum* quandoque non significat cum tempore.

R. D. maj. Verbum quod absolvitur ab omni tempore tam quoad rem significatam, quam quoad modum significandi, non significat cum tempore C. maj. quod absolvitur ab omni tempore tantum quoad rem significatam N. maj. sed verbum *sum* quandoq; absolvitur ab omni tempore quoad rem significatam C. min. quoad modum significandi N. min. Etiam in propositionibus æternæ veritatis per copulam ex parte modi significandi importatur tempus vel præsens, ut: *homo est animal*, vel præteritum, ut: *homo fuit animal &c.* quamvis res significata vel connexio animalis cum homine non dependeat à differentia temporis.

Dices

10. Dices 2dò. Verba composita, ut *deambulo*, *satisfacio* &c. sunt vera verba, & tamen habent partes *separatim* significantes juxta significationem totius, ergo male dicitur in definitione verbi, cuius nulla pars &c.

R. D. 2dam partem ant. : Verba composita habent partes *separatim* significantes &c. materialiter C. ant. formaliter N. ant. Sicut significatio formalis provenit ab impositione hominum, sic distincta impositio infert distinctam significationem formalem, est autem distincta impositio, quā imponitur v.g. *deambato* ad significandum, & iterum distincta, per quam imponitur *ambulo*, unde in his etiam sunt distinctae formaliter significations.

11. Urgebis. Omne verbum est integra propositio, sed *integra propositio* habet partes *separatim* significantes, ergo. P. maj. Quod includit subjectum, prædicatum & copulam, est *integra propositio*, sed omne verbum includit subjectum, prædicatum & copulam v.g. *scribo*, idem est, ac : *Ego sum scribens* ergo.

R. D. primam maj. Omne verbum *in ratione verbi* est *integra propositio* N. maj. *in ratione judicii* C. maj. similiter C. min. D. consequens. Verbum *in ratione verbi* est quid *formaliter simplex*, *in ratione verò judicii* est quid *compositum*, & sic habet partes,

Dices

Dices 3tiò. In propositione *negativa* ver-12. bum non significat unionem prædicati cum subjecto , ergo P. ant. In propositione negativa prædicatum dividitur à subjecto, ergo.

R. D. **I**mum ant. In propositione negativa verbum non significat unionem prædicati cum subjecto per affirmationem C. ant. Non significat unionem per negationem N. ant. Propositio etiam negativa est compositum , quod haberi non potest sine compositione vel unione partium , affirmativâ in propositionibus affirmativis , negativâ in negativis. Unde Aristoteles l. 3. de anima , tex. 22. ait : *etiam cum negamus, componimus.*

### ARTICULUS TERTIUS

#### *De Cratione.*

**CONCLUSIO.** Oratio bene definitur : 13.

*Vox significativa ad placitum , cuius aliqua pars separata significat ut dictio , non ut affirmatio vel negatio.*

Explicatur definitio : Dicitur primò vox significativa ad placitum , quæ particulæ ponuntur pro genere.

Dicitur 2dò : cuius aliqua pars separata significat , & per hoc differt oratio à nomine , verbo , termino complexo ( ut paulò infrà ) & mixto , oratio enim debet habere partes explicitè , quas terminus mixtus tantùm habet implicitè.

Dici-

Dicitur *3tiō*: *ut dīctio, non ut affirmatio vel negatio*, ubi particula non sumitur *præcisivè*, non verò *exclusivè*, quasi oratio absolute excluderet affirmationem vel negationem, neq; etiam ad orationem requiritur absolute, ut mediante copulâ aliquid affirmet vel neget, sed ei perinde est, an copulam habeat, & tunc significat ut *affirmatio vel negatio*, an *copulam non habeat*, & tunc significat, ut *dīctio*

**14** Colliges quibus modis differat oratio à termino complexo, imò: Terminus complexus petit, ut ambæ partes separatæ per se significant, cum ambæ debeant esse termini categorematici, ad orationem autem sufficit, quod una pars per se significet, licet aliæ consignificant, ut: *Regina Angelorum*, interim non repugnat orationi habere omnes partes per se significantes, ut: *Carolus Sextus Imperator Romanus*. Unde sequitur, quod omnis terminus complexus *sub diversa ratione* possit esse oratio, non verò omnis oratio possit esse terminus complexus.

**2do.** Terminus complexus à suo formalí conceptu affirmationem & negationem absolute excludit, non autem oratio.

**3tiō.** Terminus complexus formaliter sumptus est pars, per se ordinata ad componendam propositionem, oratio autem est alij

aliquid totum, per se non ordinatum ad aliud componendum.

Dices. Oratio constat pluribus *vocibus*, ergo male definitur, quod sit *vox*.

R. C. ant, D. cons. ergo male definitur, quod sit *vox* una unitate simplicitatis C. coam. unitate ordinis & compositionis N. coam. oratio non est una vox simplex, sed est *una ordine*, in quantum in oratione plures voces habentes inter se aliquam connexionem, saltem grammaticalem coordinantur. Unde ab oratione excluditur congeries plurium dictionum, quæ inter se non habent connexionem, ut, *homo, lapis, arbor*.

Quæres. Quomodo dividatur oratio? 16

R. Oratio dividitur in *Perfectam* & *Imperfectam*. Oratio perfecta est, quæ generat perfectum sensum in animo audientis, ut: *homo est animal*. Oratio imperfecta est, quæ non generat perfectum sensum, ut: *nullus homo*, ubi tamen.

Advertendum ex S. Th. I. perib. lect. 5. 17 quod oratio imperfecta quidem non generet perfectum sensum perfectione pertinente ad judicium, bene tamen perfectione pertinente ad simplicem apprehensionem.

Oratio perfecta subdividitur in *Enunciati-  
vam* & *non enunciativam*. 18

*Enunciativa* est, in qua unum affirmatur

D vel

vel negatur de altero , & propriè dicitur propositio. Non enunciativa est , quæ quidem habet completem sensum , non tamen unum de altero affirmat vel negat , & hinc licet constet subjecto , prædicato , & copulâ , non tamen propriè est propositio , quia in eâ nihil enunciatur , neque veritas aut falsitas reperitur , unde magis ordinatur ad exprimendum affectum , quam ad interpretandum id . quod in intellectu habetur , inquit S. Th. I. perib. Lect. I.

19 Hujusmodi Orationes magis Rheticæ quam Dialecticæ , sunt quinque . Prima est interrogativa , ut : *quid cogitas ?* 2da deprecativa , ut : *miserere mei ,* 3ta imperativa , u : *ite maledicti ,* 4ta optativa , ut : *utinam stude-  
res ,* 5ta vocativa , ut : *Veni sancte Spiritus.*



## INFORMATIO TERTIIA.

### *De Modis sciendi.*

#### ARTICULUS PRIMUS

*De Modo sciendi in communi.*

I. **C**ONCLUSIO I. Modus sciendi est *Oratio ignoti manifestativa.*  
Explicatur definitio : Dicitur imò ora-  
tio

*tio*, quæ particula est genus, respectu modi sciendi, propositionis, & aliarum orationum; debet autem modus sciendi esse oratio (saltem imperfecta) & proprieà constare pluribus vocibus, quia obscurum *una* voce sufficienter manifestari non potest.

Dicitur 2dò *ignoti manifestativa*, ut excludantur propositio, & aliquæ orationes imperfectæ, ut: *Homo doctus*, & quidem dicitur signanter: *manifestativa*, id est, *potens manifestare*, quia sufficit ad modum sciendi, quod *ignotum possit manifestare*, licet scienti, vel non capienti *actu* non manifestet, hoc enim est per *accidens*, ubi

Advertendum 1mò, quòd *ignotum sit duplex*, primò *ignotum historicum*, vel omnino *incognitum*, v. g. quid agatur in Hungariâ. De hoc ignoto non loquimur, cùm propriè non manifestetur per modum sciendi, sed per simplicem narrationem. 2dò *Ignotum dialecticum*, vel *obscure & imperfectè cognitum*, v. g. dum cognoscitur, quòd *homo sit*, ne cum tamen *clarè & perfectè cognoscitur* essentia hominis, & tale ignotum debet manifestari per modum sciendi.

Advert. 2dò. Tripliciter aliiquid manifestari potest, 1mò *Naturaliter*, 2dò *Historicè*, 3tio *Dialecticè*. Naturaliter mani-

festat fumus latentem ignem , Sol rem ali-  
quam in tenebris positam. Historicè ma-  
nifestat ille , qui aliquid narrat , vel reve-  
lat. Dialecticè manifestat , qui utitur ar-  
tificio dialectico , ad rem obscurè cognitam  
declarandam , & hic tertius modus mani-  
festandi per artificium dialecticum ad mo-  
dum sciendi requiritur. Unde hæc oratio :  
*Petrus dormit* , dicta ad ignorantem , quod  
Petrus dormiat , non est modus sciendi ,  
quia ratio manifestandi non est *intrinsecum*  
*artificium dialecticum* , sed *authoritas & ve-*  
*racitas dicentis* , quæ orationi est *extrinseca* ,  
& magis pertinet *ad fidem humanam* , quam  
ad *scientiam*.

**4 CONCLUSIO II.** Modus sciendi ad-  
æquate dividitur in *Definitionem* , *Divisio-*  
*nem* , & *Argumentationem*. Ratio est , quia  
modus sciendi datur ad tollendam obscuri-  
tatem ; tribus autem modis obscuritas circa  
rem aliquam , v. g. hominem , ab intellectu  
tolli potest , vel enim intellectus patitur ob-  
scuritatem , non cognoscendo , *quid sit ho-*  
*mo* , & hæc tollitur per definitionem , vel  
*que sint partes hominis* , & hæc tollitur per  
*divisionem* , vel *qualis sit* , & *quas homo ha-*  
*beat proprietates* , & hæc obscuritas tollitur  
per argumentationem.

**5 Dices.** Hæc propositio : *Homo est animal*  
ratio-

*rationale*, est oratio ignoti manifestativa, ergo etiam propositio est modus sciendi, P. ant. Illa propositio est oratio *manifestans essentiam hominis*, ergo

R. dist. Imum ant. Di<sup>ct</sup>a propositio est oratio ignoti manifestativa *per se* & ratione sui N. ant. *per accidens*, & ratione definitionis, quam includit. C. ant. Propositio *ratione sui*, & ex merito propositionis tantum petit enunciare unum de alio, quod autem quandoque manifestet ignotum, tantum est propter modum faciendo, qui in propositione *per accidens* includitur.

## ARTICULUS SECUNDUS

### De Definitione.

**CONCLUSIO I.** Definitio est *Oratio explicans naturam alicujus*. 6

Explicatur definitio : *Oratio* ponitur pro genere ; est autem definitio *per se* oratio imperfecta, quia nihil affirmat, vel negat, licet *per accidens*, prout ingreditur propositionem, sit oratio perfecta. Cæteræ particulae ponuntur pro differentiâ ; per eas enim differt definitio, tum à divisione, quæ quidem naturam rei etiam explicat per partes, ut rem *dividentes*, non vero ut rem

*constituentes*; tum ab argumentatione, quæ rem explicat per proprietates, non *simpli-*  
*citer*, ut facit definitio descriptiva, sed *illativa*.

- 7 Dices imò. Definitio non potest definiri, P. Assumptum. Si definitio posset definiri, ergo *idem* definitetur *per seipsum*, sed hoc fieri non debet, ergo. P. seq. Definitio de-  
fineretur *per definitionem*, ergo.

Dist. seq. Ergo *idem eodem modo sum-*  
*ptum* definitetur *per seipsum*. N. seq. Idem  
*diverso modo sumptum* C. seq. similiter dist.  
min. N. consequentiam. Definitio in *com-*  
*muni* vel *signatè sumpta* definitur *per defini-*  
*tionem in particulari vel exercitè sumptam*.

- 8 Dices 2do. Lumen Solis non potest illu-  
minari, ergo etiam definitio non potest de-  
finiri.

R. C. ant. N. conseq. Disparitas est, quia  
lumen Solis *virtute suā clarum* est, natura  
autem definitionis *in communi* non est nobis  
*per se clara*, & hinc illa *per definitionem in*  
*particulari* debet explicari.

- 9 CONCLUSIO II. Definitio primò di-  
viditur *in definitionem Nominis*, & defini-  
tionem *Rei*.

Declaratur: Definitio *Nominis* est, quæ  
*explicat significationem*, vel *originem nomi-*  
*nis*

nis , ut : *Philosophia est amor sapientiae , Dux est , qui dicit.*

Definitio Rei est , quæ explicat naturam rei , ut : *Homo est animal rationale.*

2do. Definitio rei dividitur in *Essentialem & Descriptivam.*

Definitio essentialis est , quæ explicat naturam rei per prædicata essentialia , hæc prædicata si fuerint physica , & realiter inter se distincta , dicitur definitio essentialis *physica* , ut : *Homo est constans corpore & animâ rationali* ; si verò fuerint prædicata metaphysica , vel *ratione tantum distincta* : qualia sunt genus & differentia , dicitur definitio essentia- lis *metaphysica* vel *logica* , ut : *Animal est vi- vens sensitivum.*

Definitio descriptiva est , quæ explicat naturam rei per proprietates , ut : *Homo est ani- mal risibile* , & hæc vocatur definitio propriè descriptiva , ut distinguatur à definitione accidentalí , quæ etiam dicitur *impropriè de- scriptiva* , & sit per *accidentia communia* , quæ simul & collectivè sumpta soli definito con- veniunt , quamvis *divisim sumpta alteri à definito convenire possit* , talis est illa Plato- nis , quâ definiebat hominem : *Homo est ani- mal pulchrum , implume , bipes , habens caput erectum.*

Additur definitio *causalis* , quæ naturam

*rei declarat per causas*, vel *intrinsecas*, *materialem & formalem*, & tunc est definitio causalis *intrinseca*, quæ eadem est cum definitione essentiali physicâ; per causas *extrinsecas*, efficientem & finalem, & tunc est definitio causalis *extrinseca*, quæ pertinet ad definitionem latè descriptivam.  
Ex his

- ii Colliges. Quomodo respondeas interrogatus de definito, v. g. homine, si quaeratur, *quid est homo?* R. per definitionem essentialiem: est *animal rationale*. *Qualis est?* R. per descriptivam: est *animal risibile*. *A quo est?* R. per causam efficientem: à Deo. *Ex quo est?* R. per causam materialem, ex corpore. *Per quid est?* R. per causam formalem, per animam rationalem. *Ad vel propter quid?* R. per causam finalem, ad eternam beatitudinem obtinendam.

Dubitabis. An illa definitio hominis: *Homo est animal constans corpore & animâ rationali, creatum à Deo ad eternam beatitudinem*, sit definitio essentialis, an accidentalis?

- 12 R. Imò. Quòd illa definitio non sit una, sed duplex, quoad hæc: *animal constans corpore & animâ rationali*, est essentialis, quoad illud verò: *creatum à Deo ad eternam beatitudinem*, est accidentalis.

R. 2dò.

R. 2dò. Absolutè posse dici accidentalem. Ratio est, quia sicut bonum est ex integra causa, sic malum est ex quocunque defectu, sicut ergo ad hoc, ut tota definitio esset simpliciter essentiales, deberent omnes ejus partes esse essentiales, sic ut simpliciter sit accidentalis, sufficit, quod una ejus pars, quæ traditur per causam efficientem & finalem, sit accidentalis.

Quæres imò. Quot sint Regulæ bonæ 13 definitionis?

R. Principaliter tres. Regula prima est: Definitio debet constare genere & differentiâ, genus est prædicatum, per quod res definita convenit cum aliis, differentia est prædicatum, per quod res definita differt ab aliis, (V. dicta in Prænot. gener.) ubi

Advertendum imò. Quod ad definitio 14 nem non requiratur, ut habeat strictum genus, & strictam differentiam, sed sæpè sufficit ponи aliquid loco generis & differentiæ.

2dò, Ad hoc, ut definitio bona sit, debet necessariò constare genere sive proximo, sive remoto, & differentiâ ultimâ, ut verò sit omnino perfecta, requiritur, ut constet genere proximo. Genus proximum est, per quod res definita convenit tantum cum pares à se distinctis, ut: Homo per animal

D 5

con-

convenit cum solo bruto. *Differentia ultima* est , per quam res definita differt ab *omnibus* aliis , ut homo per *rationale* differt à brutis , arboribus , lapidibus , &c. Unde constat , definitiones illas , quæ constant genere *remoto* , non semper esse rejiciendas , ut patet in definitione definitionis , in quâ pro genere non ponitur genus proximum , quod est modus sciendi , sed genus remotum , quod est oratio , quæ particula *satis clara* est ad explicandam naturam definitionis.

**16** Regula 2da est : *Definitio debet esse convertibilis cum suo definito* , ita ut ex definitione benè inferatur definitum , & definitio ex definito , ut : *Est animal rationale* , ergo *est homo* , & econtra , *est homo* , ergo *est animal rationale*. Hæc autem Regula intelligenda est

Primò de definito *adæquato* & *proximo* , non verò de inadæquato & remoto , dum enim definitur homo , quod sit *animal rationale* , definitum proximum est *homo* , definitum remotum est *Petrus* , & alia individua habentia naturam humanam , quamvis autem bene dicatur : est *Petrus* , ergo *est animal rationale* , non tamen sequitur : est *animal rationale* , ergo *est Petrus*.

2do. De definitione *objectivè spectata* , non verò de formalī , quæ est actus intellec-

tuſ,

Etūs, explicans naturam definiti, cùm enim actus attingens objectum non sit ipsum objectum, hinc etiam cum obiecto converti non potest. V. G. Actus intellectus definiens hominem *animal rationale*, non potest prædicari de homine, dicendo: *Homo est actus intellectus.* &c.

3<sup>to</sup>. Quoad prædicata primò intentionalia, quia definitio & definitum in prædicatis secundò intentionalibus non habent mutuam communicabilitatem, sic *animal rationale est modus sciendi*, non tamen sequitur, ergo *homo est modus sciendi*.

Regula 3<sup>ta</sup> est: *Definitio debet esse clarior 17 suo definito.* Obscurum enim per aquè obscurum explicari non potest.

Porrò non requiritur, ut definitio quoad omnes partes sit clarior definito, unde licet non minus obscurum sit, quid sit proposicio, quam terminus, bona tamen est definitio termini, quod sit vox significativa ad placitum, ex qua simplex per se conficitur propositio, quia saltem aliquæ particulæ sunt clariiores re definita, scilicet termino, & clare explicant ordinem termini ad propositionem.

Ex his regulis deducuntur aliæ.

*Definitum non debet ingredi definitionem.*

De-

*Informaciones*

*non debet esse superflua , nec  
diminuta.*

**Definitio**

*debet convenire omnibus sub  
definito contentis.*

*non debet convenire alteri à  
definito.*

19 Dubitabis. An bona sit definitio Circularis?

R. Definitio Circularis (quâ duo definiuntur per se mutuò) bona est in relativis, non verò in absolutis. Ratio est, quia relativa dicunt ordinem ad aliud, qui ordo cùm in definitione exprimi debeat, hinc etiam in obliquo debeat poni id, ad quod definitum relativum refertur, sic Pater dicit ordinem ad Filium, ideoque Pater definitur, qui genuit Filium; similiter Filius dicit ordinem ad Patrem, & definitur, qui genitus est à Patre; absoluta autem non dicunt ordinem ad aliud, proinde unum absolute per aliud mutuò definiri non debet.

20 Quætes addì quæ sint conditiones requisiæ ad definitum?

R. Ad hoc ut aliquid strictè definiatur;

Requititur primò, ut sit *unum* per se & non per accidens, Ratio est, quia una definitio debet explicare *unam* essentiam, quod autem est *unum* per accidens, non habet *unam* essentiam, sed *plures*, consequenter unicà &

pro-

propriè tali definitione explicari non potest.

Requiritur 2dò, ut sit universale, non singularare, quia singularia non habent proprium genus, nec propriam differentiam, si enim definias Petrum: est hoc animal, & hoc rationale, ly hoc animal non est genus, quia per hoc animal non convenit cum bruto, sed per animal in communi, neque hoc rationale est differentia ultima, quia per illud Petrus non differt à bruto, sed per rationale in communi.

Adverte tamen, quod singularia exercitè sumpta propriè definiti non possunt, bene tamen singularia signatè sumpta vel singularitas.

Requiritur 3tiò, ut sit resolubile in plures conceptus, ita ut in re definitâ concipi possunt duo prædicata, quorum unum est genus, & alterum differentia, & hinc Deus propriè definiri non potest, quia Deus est summò simplex, nec involvit genus aut differentiam.

### ARTICULUS TERTIUS

*De Divisione:*

**C**ONCLUSIO I. Divisio est oratio totum in suas partes distribuens.

Explicatur. Ly oratio ponitur pro genere,

cxx.

cæteræ particulæ pro differentiâ, per ly totum intelligitur divisum, per ly partes intelliguntur membra dividentia, ly distribuens idem est, quod distribuendo manifestans.

- 25 CONCLUSIO II, Divisio primò alia est Nominis, alia Rei.

Declaratur : divisio Nominis est, quâ vox aliqua dividitur in sua significata, ut gallus aliud est homo, aliud volucris.

Divisio Rei est, quâ res significata per vocem dividitur in suas partes, ut animal aliud est rationale, aliud irrationale.

- 26 2do, Divisio Rei alia est Actualis, alia Potentialis, alia Accidentalis.

Declaratur. Divisio actualis est, quâ totum actuale dividitur in partes, quas actu & in se continet, ut: hominis alia pars est corpus, alia est anima rationalis.

Divisio potentialis (quæ etiam dicitur universalis) est, quâ totum potentiale dividitur in partes, quas sub se & in potentiam continet, ut: animal aliud est homo, aliud brutum.

Divisio accidentalis est, quâ totum dividitur in partes accidentales, ut: volucrum alia est alba, alia nigra.

- 27 3tio. Divisio actualis triplex est, 1. Physica, quâ totum actuale dividitur in partes physicas, ut: hominis alia pars est corpus, alia est anima rationalis. 2. Metaphysica, quâ totum adua-

actuale dividitur in partes metaphysicas, ut hominis alia pars est animal, alia rationale. 3. Integralis, quā totum actuale dividitur in partes integrales, ut: hominis alia pars est caput, alia manus, &c.

4to. Divisio potentialis duplex est, alia est Univoci in sua univocata, quando scilicet divisum equaliter & essentialiter reperitur in membris dividentibus, & hæc vel est generis in species, ut: animalium aliud est homo, aliud brutum, vel generis in differentias, ut: animalium aliud est rationale, aliud irrationale.

Alia divisio potentialis est analogi in sua analogata, quando scilicet divisum principalius est in uno dividente, & minus principalius in aliis, ut: sanum aliud est animal, aliud color, aliud medicina.

5to. Divisio accidentalis triplex est, Pri-<sup>29</sup>ma subjecti in accidentia, ut: homo alias est doctus, alias indoctus, Secunda accidentis in subjecta, ut: albedo alia est nivis, alia lactis, Tertia accidentis in accidentia, ut, frigus aliud est intensem, aliud remissum.

Quæres. Quot sint Regulæ bonæ divisionis?

Respondeo tres. Regula prima est. Membra dividentia debent esse opposita, id est, distincta vel realiter (ut: homo & brutum, quæ sunt mem-

membra dividentia animalis) vel ratione (ut animal & rationale, quæ sunt membra dividentia hominis, in quo distinguuntur tantum per intellectum) quia membra dividentia sunt partes divisi, partes autem debent se formaliter invicem excludere, licet quandoque materialiter una pars alteram includat, sic propositio dividitur in Categoricam & Hypotheticam, & tamen Categorica includitur in hypotheticā.

31 Regula 2da est: *Membra dividentia simul sumpta debent adēquare vel exhaustire totum divisum*, cum enim partes simul sumptae sint ipsum totum, hinc totum divisum nec debet excedi à partibus, nec debet excedere partes simul sumptas. Defectu hujus conditionis vitiola est hæc divisio; *animalium aliud est bipes, aliud quadrupes*, quia neutrum convenit piscipus, qui tamen sunt animalia.

32 Regula 3ta est, *membra dividentia debent esse pauca*, quia multitudo confusionem & obscuritatem parit.

33 Dices. Dum homo dividitur in *animal & rationale*, una pars, sc. *animal* latius patet quam divisum; *homo*, ergo falsa est Reg. 2da.

R. D. ant. *animal* ut est pars *Metaphysica* hominis vel membrum dividens latius patet  
 N. ant. *animal* ut est totum potentiale C. ant.

PARS

PARS SECUNDA  
DE  
PERTINENTIBUS AD  
JUDICIUM.

*INFORMATIO PRIMA*

*De Propositione.*

*ARTICULUS PRIMUS*

*De Naturâ Propositionis.*

**C**ONCLUSIO I. Essentialis definitio  
Propositionis est, quod sit *Oratio enun-  
tians unum de alio.*

Explicatur: *Oratio* ponitur pro genere, cæteræ particulæ pro differentiâ, definitio enim & divisio nihil enunciant, quia carent copulâ. Discursus verò unum quidem infert ex alio, scilicet consequens ex antece- dente, non tamen unum enunciat de alio, ratione sui, sed ratione propositionum, quibus constat. Quod illa definitio sit *essentialis*, patet, quia enunciare unum de alio est es- sentia propositionis, & ei priùs convenit, quam significare verum vel falso.

Advertendum autem, quo Enunciare 2

E

unum

unum de alio dupliciter intelligi possit, Imò, pro affirmatione vel negatione prædicati de subiecto, & sic enunciare convenit propositioni categoricæ, zòò, pro iudicio de connexione vel non connexione partium, qualescumque illæ sint, sive termini, sive propositiones, & hoc modo enunciare etiam convenit propositioni hypotheticæ.

- 3 CONCLUSIO II.** Definitio descriptiva Propositionis est, quod sit oratio verum vel falsum significans.

Explicatur : Oratio iterum ponitur pro genere, verum vel falsum significans pro differentiâ, significare verum est significare rem ut in se est, ut : *nix est alba*, significare falsum est significare rem aliter ac in se est, us : *nix est nigra*, unde natum est axioma : ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa. Hanc definitionem esse descriptivam, manifestum est, quia datur per proprietates.

- 4** Dices Imò. Secunda definitio propositionis convenit alteri à definito, ergo non est bona, P. ant. alterum à definito est definitio, sed secunda definitio propositionis etiam convenit definitioni, ergo. P. min. *animal rationale*, quæ est definitio hominis, etiam est oratio verum significans, ergo. Deinde, hæc vox : verum significat

vc-

veritatem, & tamen non est propositio,  
ergo.

R. ad prob. min. dist. ant. animal rationale est oratio verum significans apprehensivè, C. significans judicativè N. ant. definitio quidem significat verum apprehensivè, quia est actus simplicis apprehensionis explicans naturam rei sicut est, non tamen significat verum judicativè, quia non exigit copulam ad explicandam rei naturam.

Ad additum R. vox *verum* significat veritatem signatè. C. ant. exercitè N. ant.

Dices 2dò. Illa definitio non est bona, quæ traditur per opposita, sed secunda definitio propositionis traditur per opposita, ergo, Maj. patet, definitio enim debet explicare naturam rei, opposita autem eidem rei convenire non possunt, P. min. secunda definitio propositionis datur per verum & falsum, sed verum & falsum sunt opposita, ergo.

R. dist Maj. illa definitio non est bona, quæ traditur per opposita, copulativè sumpta C. Maj. per opposita divisivè sumpta N. Maj. sed secunda definitio propositionis datur per opposita *divisivè* sumpta C. min. per opposita *copulativè* sumpta N. min. proposi-

tio non definitur oratio verum & falsum significans, sed verum vel falsum, ita ut propositio in communi & signate sumpta sit indifferens, an sit vera vel falsa, propositio autem in particulari, & exercitè sumpta (cæteris paribus) alia sit determinatè vera, alia determinatè falsa.

## ARTICULUS SECUNDUS

### *De Divisionibus Propositionis.*

6 **I**N propositione quatuor potissimum occurunt consideranda, Primo *substantia*, quæ apud S. Thom. Op. 48. de enunc. c. 6. est unio partium, 2dò *Materia*, vel *remota* & sunt termini, vel *proxima*, & est convenientia vel disconvenientia terminorum, antecedens ipsam unionem, 3tiò. *Qualitas*, quæ est affirmatio vel negatio, 4tò. *Quantitas*, quæ est extensio subjecti ad plura vel pauciora. Secundùm hæc quatuor etiam propositio quadrifariam dividitur.

7 **C**ONCLUSIO I. Propositio secundum *Substantiam* dividitur in *Categoricam*, & *Hypotheticam*.

Declaratur. Propositio Categorica vel simplex est, quæ constat subjecto & prædicato, velut partibus principalibus unica copula principali, ac verbali unitis, ut: *virtus est laudanda*.

Pro-

Propositio Hypothetica vel composita est, quæ constat duabus propositionibus categoricis velut partibus principalibus unione adverbiali unitis, ut : si sol lucet, dies est. Dupliciter ergo distinguitur propositio categorica ab hypothetica, Primò, ex parte extreborum, quia extrema propositionis categoricæ immediata sunt termini, extrema propositionis hypotheticæ immediata sunt propositiones. 2dò ex parte copule, quia copula in propositione categoricâ est verbalis, in hypotheticâ adverbialis.

Dices. Omnis propositio est composita, 8 ergo non datur propositio simplex vel categorica, P. ant. omnis propositio componitur ex subjecto, & prædicato, mediante copula, ergo.

R. dist, ant. omnis propositio est composita vel categoricè, vel hypotheticè C ant. omnis propositio est composita hypotheticè N. ant. Propositio categorica est composta categoricè, sive ex terminis. Propositio hypothetica est composita hypotheticè, sive ex propositionibus. Circa propositionem categoricam.

Advertendum primò. Quid propositio 9 adhuc maneat simplex, licet subiectum vel prædicatum sit oratio, aut integra proposicio, unde hæ propositiones sunt categoricæ :

*Imperator Romanorum est defensor Ecclesie. Homo, qui est deditus inertiæ, est laude indignus. Petrus studet, est propositio.*

**IO** 2do. Quod copula verbalis, sive expressa per verbum *sum*, sit duplex, alia Principalis vel Connexionis, alia minus principalis, vel implicationis, Copula principalis est illa, quæ unit vel connectit prædicatum subjecto, & vocatur principalis, quia penes illam principaliter attenditur, an propositio sit affirmativa vel negativa, vera vel falsa. Copula minus principalis est illa, quæ non unit prædicatum subjecto, sed potius se tenet ex parte unius extremi tantum, & hinc dicitur copula implicationis, v. g. in hac propositione: *Petrus, quia est Logicus, est diligens*, pro copula principali habetur ly: *est*, positum ante ly *diligens*, pro copula vero minus principali, accipitur ly *est*, positum post relativum. Signum copulæ minus principalis est, si illâ omissâ stet adhuc propositio, sic in dato exemplo manet eadem propositio, licet dicas. *Petrus logicus est diligens.*

**II** 3to. Propositio categorica dicitur de secundo adjacentे, quando prædicatum propositionis ponitur implicitè, ut: *Petrus currit*. Dicitur de tertio adjacentे, quando subjectum, prædicatum, & quando ponuntur explicitè, ut: *Petrus est Doctus*. Dicitur

de

de verbo adjectivo : quando solum verbum ponitur , ut : *vesperascit*.

**CONCLUSIO II.** *Propositio secundum 12*  
*Materiam ( proximam ) 3plex est , alia est in materiâ necessariâ , alia in materiâ impossibili , & alia in materiâ contingente.*

*Declaratur.* *Propositio in materiâ necessariâ vel naturali est , cuius prædicatum necessariò convenit subjecto , ut : *homo est animal*.*

*Propositio in materiâ impossibili est , cuius prædicatum absolutè repugnat subjecto , ut : *homo est lapis*.*

*Propositio in materiâ contingente est , cuius prædicatum contingenter vel acciden-  
taliter convenit subjecto , ut : *homo est albus*.  
ubi.*

*Advertendum imò.* *Quod manente eo- 13  
dem subjecto & prædicato , semper maneat  
eadem materia propositionis , licet ipsa pro-  
positio mutetur penes affirmationem vel  
negationem , veritatem vel falsitatem , uni-  
versalitatem vel particularitatem , unde , sive  
dicas : *homo est animal* , sive : *homo non est  
animal* , utraque propositio est in materiâ  
necessariâ.*

2. *Aliud est : propositionem esse ne- 14  
cessariam , & aliud : esse in materiâ necessariâ.  
Propositio necessaria est necessariò vera , li-  
cet*

cet termini non habeant convenientiam necessariam. Propositio in materiâ necessariâ est, in quâ termini habent necessariam convenientiam, unde hæc propositio : *homo non est animal*, est in materiâ necessariâ, non tamen est propositio necessaria, vel necessariò vera, sed impossibilis. Eodem modo discurrendum est de propositione impossibili & in materiâ impossibili. Propositio impossibilis est impossibiliter vera. Propositio in materiâ impossibili est, in quâ termini invicem absolute repugnant, unde hæc propositio : *homo non est lapis*, est propositio necessaria, sed in materiâ impossibili. Ex quibus :

**15** Sequitur 1mò, quod ad cognoscendum, in quâ materiâ sit propositio, unice attendenda sit terminorum habitudo, id est, vel conexio vel repugnancia.

Sequitur 2dò, quod omnis propositio affirmativa in materiâ necessariâ sit etiam necessaria, & vera, ut : *homo est animal*, omnis verò propositio negativa in materiâ necessariâ, sit impossibilis, & falsa, ut : *homo non est animal*.

Sequitur 3tiò, quod omnis propositio affirmativa in materia impossibili sit etiam impossibilis, & falsa, ut : *homo est lapis*, omnis verò propositio negativa, in materia impossibili sit necessaria & vera, ut : *homo non est lapis*.

Se-

Sequitur 4:ò, quod omnis propositio tam affirmativa, quam negativa in materia contingente semper sit, & maneat contingens, ut: *homo est doctus*.

**CONCLUSIO III.** Propositio secundum <sup>16</sup> Qualitatem dividitur in Affirmativam. & Negativam.

Declaratur. Propositio affirmativa est, cuius copula NB, *principalis caret negatione*, ut: *justitia est virtus*. Propositio negativa est cuius copula *principalis affecta est negatione*, vel formaliter, ut: *audacia non est virtus*, vel equivalenter, ut: *nullum vitium est virtus*.

Dictum est, cuius copula NB. *principalis*. &c. Quia negatio apposita copulae minus principali, non facit propositionem negativam, unde hæc est propositio affirmativa: *Petrus, qui non est doctus, est piger*. Præterea

Advertendum primò, si particula: *non*, <sup>17</sup> neganter sumpta sæpius repetatur in propositione, tenenda est regula illa: *paritas negationem affirmat, imparitas negat*, id est, si negationes sint pares, propositio est affirmativa. Si negationes sint impares, propositio est negativa.

2do. Ad cognoscendum. An propositio affirmativa sit; an negativa, non est attendendum ad ly *non*, cadens supra terminos, eosque infinitans, sed tantum ad negationem immemor.

diate anteponitam vel signis logicis , vel cō-  
pulae , unde haec propositio ; nullus homo on-  
est animal , est affirmativa , h̄c vero . Non-  
nullus homo non est animal , est negativa , V.  
infra dicta dicenda de Aequipollentia .

19 3to. Nomina negativa , ut : *impius* , *indo-  
ctus* , & similia , non faciunt propositionem  
negativam , licet enim haec duæ proposi-  
tiones : *Petrus est impius* , & *Petrus non est pius* ,  
conveniant quoad rem & materialiter , diffe-  
runt tamen formaliter , & penes modum  
enunciandi .

20 4to. Si in aliqua propositione adest du-  
plex copula verbalis principalis , ut : *Petrus  
est* , & *non fuit doctus* , tunc illa proposicio  
dicenda est virtualiter duplex , ideoque ad  
discernendam affirmationem vel negatio-  
nem resolvi debet in duas categoricas , di-  
cendo : *Petrus est Doctus* , & *Petrus non fuit  
doctus* , & tum facilimè discernitur , quod  
prima categorica sit affirmativa , secunda ve-  
rò sit negativa .

21 CONCLUSIO IV. Propositio secundūm  
*Quantitatēm* dividitur in *Universalem* , *Par-  
ticularem* , *Singularem* , & *Indefinitam* .

Declaratur : Propositio Universalis est ,  
cujus termino *communi* præponitur signum  
*universale* , vel affirmativum , quale est :  
*omnis* ,

*omnis*, vel negativum, quale est: *nullus*, v. g. *Omnis homo est risibilis*, *nullus homo est in-*  
*trabilis*.

Propositio Particularis est, cuius termino, alias *communi*, præponitur signum particu-  
lare, vel affirmativum, ut: *quidam*, *aliquis*,  
vel negativum, ut: *quidam non*, *aliquis non*,  
v. g. *Aliquis homo est justus*, *aliquis homo non*  
*est justus*.

Propositio Singularis est, cuius termino, alias *communi*, præponitur pronomen de-  
monstrativum, ut: *hic homo est doctus*. Ad  
propositionem singularem reducitur illa,  
quæ pro subjecto habet terminum singula-  
rem determinatum, ut: *Aristoteles est Philo-*  
*sophus*.

Propositio Indefinita est, cuius termino  
*communi nullum* præponitur signum, ut: *ar-*  
*bor est fæcunda*.

Advertendum imò. Quod ad cognoscen- 22  
dam quantitatem propositionis attenden-  
dum sit solum subjectum, ita ut propositio sit  
universalis, si subjectum sit affectum signo  
universalis, licet prædicatum affiliatur signo  
particulari v. g. *Omnis homo est aliquid ani-*  
*mal*, similiter hæc propositio: *Franciscus est*  
*omnis homo*, est singulatis, licet prædicatum  
sit affectum signo universalis.

2dō. Si in aliquâ propositione sint duo diver- 23

ta

sa signa, eaque ambo in recto, ut: *omnis homo*, & *aliquis homo est animal*, propositio dicenda est virtualiter, duplex, & resolvenda hoc modo: *omnis homo est animal*, & *aliquis homo est animal*, quarum 1ma est universalis, 2da particularis. Si vero unum signum sit in recto, aliud in obliquo, tunc quantitas propositionis sumi debet penes signum in recto positum, unde hæc propositio est universalis: *Omnis sensus alicujus hominis sunt perturbati.*

24 3ti. Circa propositionem indefinitam observanda sunt hæc axiomata Dialecticorum.

1. *Propositio Indefinita affirmativa in materia necessaria æquivalet universalis*, sic hæc propositio: *homo est animal*, æquivalet huic universalis: *omnis homo est animal*. Intelligenda est hæc regula de propositionibus directis, quia in indirectis non tenet, hæc enim propositio: *animal est homo*, non æquivalet universalis, sed particulari: *aliquid animal est homo*.

2. *Propositio Indefinita negativa in materia impossibili æquivalet universalis*, sic hæc propositio: *homo non est lapis*, æquivalet huic: *nullus homo est lapis*.

3. *Propositio Indefinita, que est de fide, æquivalet universalis*, sic hæc propositio: *homo*

*homo moriens in gratiâ salvabitur, æquivalet huic: omnis homo moriens in gratiâ salvabitur.*

4. *Propositiones doctrinales* ( quæ velut principia vel conclusiones traduntur ab aliquâ scientiâ ) æquivalent universalibus, tale est illud Medicum: *vulnus circulare est difficile curatu, id est, omne vulnus circulare, &c.* Item illud Theologicum: *fur est obligatus ad restituendum, id est, omnis fur, &c.* & illud Juridicum: *homo gravis furti reus est suspendendus, id est, omnis homo gravis furti reus, &c.*

5. *Propositio Indefinita in materia continente æquivalet particulari*, sic hæc propositio: *homo est albus, æquivalet huic: aliquis homo est albus.*

Colliges ex dictis, quomodo respondeas <sup>25</sup> interrogatus de propositione. Imò, si quæratur, *qua est propositio?* Resp. *Categorica, vel Hypothetica, Qualis? est affirmativa, vel negativa. Quanta est universalis, particularis, singularis, vel indefinita.*

Quæres. Nunquid supersint utiles aliæ <sup>26</sup> divisiones propositionis?

R. Superlunt sequentes, quas juvat brevitatem annotari.

Imo dividitur in *Identicam & Formalem,*  
Pro-

Propositio Identica est, in quâ prædicatum est omnino idem cum subjecto, ut : *gladius est ensis.* Propositio Formalis est, cuius prædicatum vel realiter vel saltē ratione distinguitur à subjecto, ut : *homo est animal.*

- 27 2dō dividitur in Directam & Indirectam, Propositio Directa est, in quâ superius prædicatur de inferiore, ut : *homo est animal.* Propositio indirecta est, in quâ inferius prædicatur de superiore, ut : *animal est homo.*
- 28 3tiō dividitur in Absolutam, & Modalem, Propositio Absoluta est, quæ aliquid absolute & sine addito enunciat, ut : *homo est rationalis*, Propositio Modalis est, quæ prædicatum enunciat de subjecto sub certo modo modificante ipsam unionem extreborum, ut : *homo necessariō est rationalis*, tales particulæ modificantes sunt quatuor comprehensæ his verbis :

*Omnis Necesse valet, Impossibile Nullus,*  
*Possibile Quidam, Quidam non Possibile non,*  
*id est, Necesse est modus universalis affirmati-*  
*vus, & æquivalet ly : omnis. Impossibile,*  
*est modus universalis negativus, & æqui-*  
*valet ly : nullus. Possibile est modus particu-*  
*laris affirmativus, & æquivalet ly : qui-*  
*dam, vel aliquis. Possibile non, est modus*  
*particularis negativus, & æquivalet ly*  
*qui-*

quidam non, vel aliquis non. E quibus facile erit cognoscere, quantitatem, & qualitatem propositionum modalium.

Si petas. Unde sumatur veritas & falsitas propositionum modalium. 29

*R.* Desumi debet penes modum; non penes dictum. Per modum intelligitur particula modalis. Per dictum intelliguntur cæteræ partes propositionis. Tunc ergo propositio modalis est vera, quando modus cum veritate convenit dicto, licet dictum sit falsum, v. g. hæc modalis: *hominem esse lapidem est impossibile*, est vera, licet dictum: *hominem esse lapidem*, sit falsum. Tunc autem Propositio modalis est falsa, quando modus cum veritate dicto non convenit, v. g. hæc modalis: *equum esse irrationalem est contingens*, est falsa, licet dictum: *equum esse irrationalem*, sit verum.

Advertendum insuper (quod sæpe in 30 Philosophiâ tangitur) Propositionem modalem aliam esse Compositam, quæ facit sensum compositum, aliam esse Divisam, quæ facit sensum divisum. Sensus Compositus tunc fit, quando significatur posse simul coexistere actum vel formam unius termini cum actu alterius, ut: *cæcum videre est possibile*, cuius sensus est; potest conjungi actus visionis cum actuallia cœcitate. Sensus divisus tunc fit, quando

quanto significatur , quod forma vel actus  
 prædicati possit convenire subjecto , non  
 tamen dum actu habet formam oppositam ,  
 & simul cum illâ , sed tantum successivè ,  
 ut : *cœcus possibiliter videt* , cuius sensus est ,  
 qui jam est cœcus , habet potentiam ad  
 visionem , non tamen actu videbit , nisi  
 recedente cœcitate . Spectato tamen com-  
 muni modo loquendi , multum dependet  
 ab intentione proferentis , an tales proposicio-  
 nes intelligendæ sint in sensu Composito ;  
 an in Diviso .

Cætera de propositione modali plus ha-  
 bent obſcaritatis ; quam utilitatis , consultò  
 prætermittenda .

- 3<sup>1</sup> 4<sup>to</sup>. Propositio dividitur in *Excepti-  
 vam* , *Exclusivam* , & *Reduplicativam* , Pro-  
 positio Exceptiva est , quæ continet par-  
 ticulam exceptivam : *præter* , ut : *omnes  
 Apostoli sunt sancti præter Iudam* , id est , ex-  
 cepto Iudâ . Propositio Exclusiva est , quæ  
 continet particulam exclusivam : *tantum* ,  
 vel *solum* , ut , *tantum fides Catholica est  
 vera* , quam sic expones : *fides Catholica est  
 vera* , & *nulla alia fides est vera* . Propo-  
 sitio Reduplicativa est , quæ continet parti-  
 culam reduplicativam , *quatenus* , *in quan-  
 tum* , vel *similem* , ut : *homo quatenus ra-  
 tionalis , est risibilis* . V. de Ampliat , à N 51.

AR-

## ARTICULUS TERTIUS

*De Propositione Hypothetica*

**S**icut ad propositionem categoricam re.<sup>32.</sup> quiritur copula *verbalis*, quæ est verbum *sum*, sic ad propositionem Hypotheticam (cujus definitio supra data est) requiritur copula *adverbialis*, una scilicet ex his particulis: *Et*, *Vel*, *Si*, *Ergo*, *Quia*, penes quas particulias etiam cognoscitur, quotuplex sit propositio Hypothetica.

**CONCLUSIO.** Propositio Hypothe.<sup>33.</sup> tica dividitur in **Copulativa**, **Disjunctiva**, **Conditionale**, **Rationale**, & **Causale**.

Declaratur. Propositio Hypothetica Co-  
pulativa est, cuius partes principales uniuntur  
conjunctione *Copulativa* v. g. *Plato docet*,  
*Et Aristoteles audit*.

Disjunctiva est, cuius partes principales  
uniuntur conjunctione *Disjunctiva*, v. g. *dies  
est, VEL nox est*.

Conditionalis est, cuius partes principa-  
les uniuntur conjunctione *Conditionali*, v. g.  
*SI sol lucet, dies est*.

Rationalis est, cuius partes principales  
uniuntur conjunctione *Rationali*, v. g. *Sol  
ortus est, ERGO dies est*.

Causalis est, cuius partes principales uni-  
untur conjunctione *Causali*, v. g. *QUIA sol  
ortus est, dies est*.

F

Quæ;

34 Quæ xires imò. Quæ conditiones requiriatur ad veritatem vel falsitatem propositionis Hypotheticæ?

R. imò. Ad veritatem propositionis Copulativæ requiritur, ut utraque categorica sit vera. Ad falsitatem verò sufficit, si una sit falsa. Unde vera est hæc copulativa: *Homo est rationalis, & brutum est irrationale*, falsa est hæc: *Homo est animal, & brutum est lapis*.

35] R. 2. Ad veritatem propositionis Disjunctivæ, una tantum categorica debet esse vera, secundum axiomam: *Propositio Disjunctiva est vera ratione alterutrius partis*. Ad falsitatem verò requiritur, ut utraque sit falsa. Unde hæc disjunctiva vera est: *vel homo est rationalis, vel brutum est rationale*, falsa est hæc: *homo est latrabilis, vel brutum est risibile*, ubi

36 Advertendum, si propositio disjunctiva constet duabus categoricis, quarum utraque est vera, v. g. *Justus salvatur, vel Impius damnatur*, tunc illa propositio in rigore Dialectico non est disjunctiva, sed potius copulativa.

37 R. 3tio. Ad veritatem propositionis Conditionalis sufficit, quod secunda propositio deduci possit ex prima, licet utraque sit falsa. Ad falsitatem verò sufficit, secundam ex prima non deduci, unde vera est hæc conditionalis: *si canis haberet alas, volaret, falsa est hæc; si homo sit risibilis, est equus*.

R. 4. ad

R. 4tō. Ad veritatem propositionis ratio- 38  
nalis requiritur, ut prima sit vera. Deinde,  
ut secunda sequatur ex prima, ad falsitatem  
sufficit, unam ex his conditionibus deficere,  
unde vera est hæc rationalis: Petrus est homo,  
ergo est animal, falsæ verò sunt hæc: Petrus est  
equus, ergo est irrationalis, item, Petrus est Lo-  
gicus, ergo cantat.

R. 5tō. Ad veritatem propositionis causalis 39  
requiritur, ut prima propositio sit vera. De-  
inde, ut secunda sequatur ex prima. Demum,  
ut prædicatum primæ, sit causa prædicati se-  
cundæ propositionis. Ad falsitatem sufficit,  
si una ex his conditionibus desit. Unde vera  
est hæc causalis: quia homo est rationalis, est ri-  
sibilis, falsa autem est hæc: quia, homo est ri-  
sibilis, est rationalis, risibilitas enim non est  
causa rationalitatis, sed rationalitas risibili-  
tatis.

Quæres 2dō. Unde sumatur affirmatio 40  
vel negatio propositionis Hypotheticæ?

R. Sicut affirmatio vel negatio proposi-  
tionis Categoricæ sumenda est penes copu-  
lam *verbalem*, sic affirmatio vel negatio pro-  
positionis Hypotheticæ sumenda est penes  
copulam *adverbialem*, vel *hypotheticam*.  
Tunc igitur Hypothetica erit affirmativa;  
si ejus copula non habeat adjunctam particu-  
lam: non, unde hæc propositio; si sol non est

*ortus, dies non est, est affirmativa, quia copulatio est affirmativa, licet partes sint negativæ. Tunc vero Hypothetica erit negativa, si ejus copula sit affecta negatione. Unde hæc est negativa: Non si Petrus mendicet, dives est, licet partes sint affirmativæ. Ut ergo propositio Hypothetica fiat negativa, commodè agetur (licet præter morem Grammaticorum) si à principio propositionis ponatur particula non. Rationalis tamen negativa fieri potest, si à principio ponas ly: non sequitur, v. g. non sequitur: Petrus est animal; ergo est rationalis.*



## INFORMATIO SECUNDA.

### De Proprietatibus Terminorum intra Propositionem.

1. **E**xplicatâ naturâ propositionis, principalibusque ipsius divisionibus, recto ordine doctrinæ nunc agendum est de proprietatibus ipsam propositionem consequentibus. Quædam autem proprietates sequuntur ipsa extrema, quædam totam propositionem. Proprietates sequentes ipsa extrema sunt sex: Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Diminutio, Appellatio, de quibus agendum est in præsenti informatione.

AR.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De natura Suppositionis.*

**CONCLUSIO.** Suppositio est Acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur, juxta exigentiam copulae. Pro intelligentia definitionis.

Advertendum primò. Quod hæc duo inter se differant: *Significare*, & *Supponi*. Vox dicitur *significare*, dum ex institutione hominum habet vim aliquid intellectui manifestandi. Dicitur verò *supponi*, dum accipitur vel usurpatur (modo statim explicando) pro ipsa re significata, cuius vicem vox supplet, sicut tabulæ Cosmographicæ usurpantur pro regionibus, per eas representatis.

2dò. Acceptio est duplex, alia *Activa*, alia *Passiva*. Acceptio *activa* est *actus intellectus* rem hoc vel illo modo accipientis. Acceptio *passiva* est ipse *usus passivus*, quo terminus dicitur pro aliquo acceptus.

3rdo. Verificatio etiam duplex est, alia *Propositionis*, alia *acceptationis*. Verificatio *propositionis* est, quando res ita se habet, sicut enunciatur, sive quando *propositio* est *vera*, & hæc non exigitur ad *suppositionem*, termini enim possunt etiam supponere in *propositione falsâ*, ut: *Homo est lapis*. Verificatio *acceptationis* est, quando res signifi-

cata , pro quâ accipitur terminus , vetè datur  
juxta exigentiam copulæ . His observatis ,

**5** Explicatur definitio . Dicitur imò . Suppo-  
sitione est acceptio ( passiva ) per quam particu-  
lam convenit suppositio cum aliis proprietati-  
bus termini , in quarum definitionibus ly ac-  
ceptio ponitur saltem implicitè . Cæteræ par-  
ticulæ ponuntur pro differentiâ . Et

Dicitur 2dò . Pro aliquo , de quo verificatur .  
Scilicet illa acceptio V . N . 4 .

Dicitur 3tio . Juxta exigentiam copulae . Id  
est : res significata , pro quâ terminus usur-  
patur , debet verè existere sub eâ differen-  
tiâ temporis , quæ per copulam importa-  
tur . Ubi

**6** Adverte imò modum examinandi , an  
vox aliqua supponat . Sit propositio : An-  
tichristus erit impius , ut cognoscas , an in hac  
propositione Antichristus supponat , assume  
ly Antichristus , & claritatis gratiâ fac novam  
propositionem , eamque demonstrativam ,  
in qua pro subiecto pone pronomen demon-  
strativum , hoc , pro prædicato pone ly Anti-  
christus , & interpone copulam prioris pro-  
positionis , dicendo : hoc erit Antichristus , &  
quia vides hanc propositionem esse veram ,  
& Antichtistum vetè extitum , secundùm  
exigentiam copulæ , quæ importat tempus  
futurum , inde colligis in prima propositione :

Anti-

*Antichristus erit impius*, ly: *Antichristus verè supponere*. Econtra in hac propositione: *Antichristus est crudelis*, non potes cum veritate dicere: *Hoc est Antichristus*, falsum enim est, quod *Antichristus de præsenti existat*, & hinc colligis, quod subjectum in hac propositione: *Antichristus est crudelis*, non supponat, ideoque dicitur propositio de subjecto non supponente.

2dō. Quod hæc regula teneat in propositionibus contingentibus, si enim propositio sit in materia *necessaria*, in qua verbum abstrahit ab omni tempore, tunc etiam terminus supponit, licet res per eum significata non existat sub differentia temporis per copulam importati, v.g. in hac propositione, *Adam est homo*, ly *Adam* verè supponit, quamvis *Adam de præsenti non existat*, unde non potest, quidem *quoad sensum* designari: *Hoc est Adam*, potest tamen designari *quoad intellectum*, cum intelligamus independenter à tempore esse necessariam connexionem inter Adamum & hominem.

Dubitabis. An suppositio detur extra propositionem?

R. N. Ratio est, quia suppositio debet detulsi penes copulam, extra propositionem verò copula non datur.

Dices, Extra propositionem datur termi

F 4

9  
nus

nus, ergo etiam suppositio P. coa., ubi datur *essentia termini*, etiam dari debet *proprietas termini*, sed suppositio est *proprietas termini*, ergo si &c.

R. ad prob. coæ D. mai. Ubi datur *essentia termini*, etiam debet dari *proprietas absoluta C. maj.* *proprietas respectiva N. maj.* sed suppositio est *proprietas termini absoluta N. min.* *proprietas respectiva C. min.* Suppositio est *proprietas termini tantum respectiva, & connotans statum actualis compositionis*, unde convenit solis terminis *actu componentibus.*

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De Divisionibus Suppositionis.*

io CONCLUSIO I. Suppositio in communidividitur in *Materialem & Formalem.*

Declaratur. Suppositio materialis est *acceptio termini pro se ipso*, id est, pro nudâ voce. ut: *Homo est nomen.* Hæc tamen non est propriè suppositio, sicut vox materialiter accepta non est propriè terminus.

Suppositio Formalis est *acceptio termini pro re*, ad quam significandam est impositus, ut: *Homo est animal.*

ii. Regulæ cognoscendi, quod terminus supponat materialiter, sunt sequentes.

Prima: Si sit vox nihil significans.

2da

**2da:** Si vox significativa penes se vel explicite vel implicite habeat notas materialitatis, quales sunt: *nomen*, *vox*, *particula* &c. v. g. *Homo est dissyllabum*.

**3ta.** Si prædicatum non conveniat rei significatæ per subjectum, sed soli voci, ut *Petrus est nomen*.

**CONCLUSIO II.** Suppositio Formalis **12** dividitur in Propriam & Impropiam.

Declaratur. Suppositio Propria est acceptio termini pro eo, quod propriè significat, ut: *homoridet*, ubi participium *ridens* implicite positum accipitur propriè.

Suppositio impropria est acceptio termini pro eo quod impropriè significat, ut: *prata rident*.

**CONCLUSIO III.** Suppositio Propria **13**. dividitur in Simplicem, & Personalem sive realem.

Declaratur. Suppositio simplex est acceptio termini tantum pro suo primario & immediato significato, ut: *homo est species*, ubi *homo* sumitur tantum pro natura humana, ad quam significandam primariò est institutum, non verò pro Petro & Paulo, cæterisque significatis mediatis.

Suppositio Personalis vel realis est, acceptio termini non solum pro suo significato primario & immediato, sed etiam pro secundario & mediato, ut: *Homo est animal rationale*, hic *homo*

*mo sumitur & pro natura humana, & pro Pe-  
tro & Paulo &c. pro cuius notitia*

**14** Advertendum. Duplex est significatum termini, *Mediatum scilicet, & Immedia-  
tum.* Significatum *Immediatum* vel primarium & formale est illud, ad quod significan-  
dum terminus per se *primariò* est institutus. Significatum *mediatum* vel secundarium, &  
materiale est, ad quod significandum termi-  
nus tantum est institutus *secundariò*, & per  
quandam extensionem, in quantum signifi-  
catum primarium se extendit ad significata  
secundaria, sic terminus: *Homo*, primariò  
est institutus ad significandam naturam hu-  
manam, & quia natura humana se extendit  
ad Petrum & Paulum, hinc Petrus, Paulus  
&c. in quibus natura humana invenitur,  
sunt significata secundaria termini: *Homo*.  
Econtra hæc vox: *Petrus est primariò instituta*  
ad significandum hunc singularem homi-  
nem, & *secundariò* ad significandam naturam  
humanam, quæ invenitur in Petro.

**15** Regulæ cognoscendi, an terminus suppo-  
nat simpliciter, vel personaliter, sunt se-  
quentes:

*Regula prima est*, quando prædicatum est  
terminus *secunde intentionis*; subjectum sup-  
ponit simpliciter. Quando autem prædica-  
tum

tum est terminus prima intentionis , subiectum supponit personaliter. Unde sequitur.

Regula 2da , quod terminus NB. primæ intentionis sit in suppositione simplici , quando non potest descendere à primario ejus significato , ad significatum secundarium , ut patet in hac propositione : *homo est species* , ubi non valet descensus ab homine ad Petrum , dicendo : ergo *Petrus est species*. Econtrario terminus est in suppositione Personalis , quando valet descentus à significato termini primario ad secundarium , sic à subjecto hujus propositionis : *homo est animal* , benè potest descendere ad Petrum , de eoque prædicari *animal* , dicendo , ergo *Petrus est animal*.

Dictum est : Terminus NB. primæ intentionis , quia si subiectum sit terminus secundæ intentionis , tunc etiam in suppositione simplici fieri potest descentus , ut : *genus est universale* , ergo *animal est universale*.

**CONCLUSIO IV.** Suppositio personalis dividitur in *Communem* , *Singularem* , *Essentialem* & *Accidentalem*.

Declaratur : Suppositio Communis est , quando terminus positus in propositione est communis , ut : *homo est animal*.

Suppositio Singularis est , quando terminus positus in propositione est singularis , ut : *Petrus est homo*.

Sup-

Suppositio Essentialis vel naturalis est, acceptio termini pro aliquo, cui prædicatum convenit essentialiter, ideoque supponit pro omnibus suis inferioribus [ sive existant, sive non existant) vel propter essentialē & necessariam connexionem inter prædicatum & subjectum, ut: *homo est animal rationale*, vel propter essentialē repugnatiā prædicati & subjecti: ut: *homo non est brutum*, & tales propositiones dicuntur aeternae veritatis, quia nimirum quoad suam veritatem non dependent à determinato tempore, & hinc in talibus propositionibus copula nunquam designat differentiam temporis, penes quam vel attendatur acceptio termini, vel veritas propositionis, sed solum indicat, essentialē connexionem extētorum, si illæ propositiones sint affirmativæ, vel essentialē eorum repugnatiā, si sint negativæ.

Suppositio Accidentalis est, acceptio termini pro aliquo, cui prædicatum convenit accidentaliter, ideoque supponit tantum pro suis significatis, quibus prædicatum convenit secundum illam differentiam temporis, quæ per copulam importatur, ut: *Petrus disputat*, ubi Petrus accipitur pro eo, qui disputat tempore præsenti.

17 Dices. Omnis suppositio est naturalis,  
ergo

ergo non datur suppositio accidentalis, P.  
ant. omnis suppositio est proprietas termini,  
sed omnis proprietas est naturalis, quia na-  
turaliter convenit subjecto, cuius est pro-  
prietas, ergo.

R. D. ant. Omnis suppositio est natura-  
lis per ordinem *ad essentiam termini* C. ant.  
per ordinem *ad connexionem* prædicati cum  
subjecto, N. ant. Suppositio naturalis ex  
eo dicitur, quod prædicatum subjecto na-  
turaliter vel essentialiter connectatur, talis  
autem connexio non est in propositione ac-  
cidental, ergo neque in illâ terminus sup-  
ponit naturaliter, sed accidentaliter vel  
contingenter.

**CONCLUSIO V.** Suppositio com-18.  
munis dividitur in Collectivam, Distribu-  
tivam, Determinatam, & Confusam.

Declaratur : Suppositio Collectiva sit,  
dum terminus *communis* accipitur pro suis  
significatis *simul* sumptis, & in *unitâ* pro-  
positione, vel affirmativâ per particulam, &  
in negativâ per particulam *nec*, singu-  
lis significatis interpositam *simul* enum-  
randis, ut in hac propositione : *Elementa*  
*sunt quatuor*, ly *elementa* supponit collecti-  
vè, unde non poteris inferre : ergo *ignis*  
*est quatuor*, sed debent *simul* enumerari om-  
nia

nia significata subjecti dicendo : ergo *ignis*, & *aer*, & *aqua*, & *terra* sunt quatuor.

Suppositio Distributiva fit , quando terminus communis accipitur pro omnibus suis significatis , tūm seorsim tūm simul sumptis , In hac suppositione sumuntur significata vel inferiorā seorsim , quando de singulis per distinctas propositiones particulā & vel nec connexas , prædicatur terminus ille , qui antea prædicatus erat de termino communi , ut : *homo est animal* , ergo & *Petrus est animal* , & *Paulus est animal* , & *Ioannes est animal* , &c. Item : *homo non est brutum* , ergo nec *Petrus est brutum* , nec *Paulus est brutum* , &c. Sumuntur autem inferiora simul , ut ante dictum est de suppositione collectivā , sic : *homo est animal ergo & Petrus & Paulus & Ioannes est animal* , item , *homo non est brutum* , ergo nec *Petrus* , nec *Paulus* , nec *Ioannes est brutum* .

19 Suppositio distributiva subdividit in *completam* & *incompletam*.

Suppositio distributiva completa fit , quando descendit ad *omnia individua* , ut : *animal est sensitivum* , non enim sola species animalium , sed etiam singula animalia *in particuli* sunt sensitiva.

Suppositio Distributiva Incompleta fit , quando non descendit ad *omnia individua*

dūa, sed solum ad omnes species, ut dum dico: omne animal fuit in arcâ Noë, ubi animal sumitur pro omnibus speciebus animalium.

Advertendum. Quod suppositio completa vocari soleat acceptio termini pro singulis generum, & incompleta pro generibus singulorum, ubi tamen ly: genus non sumitur strictè, sed latè, ut idem sit ac species, sicut dici solet: inter Apostolos Iudas in specie fuit proditor, cum regulariter dici deberet. Iudas in individuo.

Suppositio completa etiam dicitur *Absoluta*, quando scilicet terminus accipitur pro omnibus individuis nullo excepto, ut ostensum est in propositione: *animal est sensitivum*. Suppositio incompleta etiam dicitur *Accommodata*, quando terminus sumitur cum exceptione unius aut alterius individui, ut sit in hac propositione: *omnis homo contraxit peccatum originale*, ubi subintelligitur: exceptis Christo & B. V. Mariâ.

Suppositio determinata est acceptio termini *communis* pro suis inferioribus seorsim enumerandis, donec deveniatur ad unum de quo verificatur prædicatum propositionis. In hac suppositione inferiora enumerantur seorsim, dum de singulis formantur propositiones connexæ per particulam vel, ut: aliqua dies vita erit ultima, ergo vel

*vel hæc dies erit ultima, vel illa dies erit ultima, & sic de cæteris, donec deveniatur ad diem illam, de qua prædicatum ultima verificatur.*

Suppositio confusa est, acceptio termini *communis* pro suis inferioribus simul enumeraudis, quorum nulli determinatè conveniat prædicatum. In hac suppositione inferiora enumerantur simul, si de illis omnibus formetur unica propositio, & singulis interponatur particula disjunctiva *vel*, ut: *aliquis oculus est necessarius ad videndum, ergo vel oculus dexter, vel oculus sinister est necessarius ad videndum, ubi prædicatum necessarius ad videndum nec determinatè affirmatur de oculo dextero, nec de sinistro.*

Advertendum imò circà suppositionem <sup>22</sup> determinatam, quod in hac propositione: *aliqua dies vita erit ultima*, subjectum sit indeterminatum *quoad nos*, quia vi illius propositionis non determinatur, quænam sit illa dies, de qua verificatur, quod sit *ultima*, subjectum tamen supponit pro una die determinata *quoad se*.

<sup>23</sup> 2dò. Circa suppositionem confusam, quod in hac vel simili propositione: *Aliquis oculus est necessarius ad videndum* subjectum per se supponat confusè, per accidens tamen possit supponere determinatè, quia monoculo

culo ad videndum necessarius est determinatè unus ille oculus, quem habet, sic etiam in hac propositione: *Fides est necessaria ad salutem*, ly *Fides* supponit determinatè pro *Fide Catholicā*, ex suppositione, quod non detur alia vera *Fides* præter *Catholicam*.

Quæres. Ex quibus regulis cognosci de 24 beat, an terminus supponat collectivè, an distributivè & an confusè, an determinatè. Ante Relpcionem advertendum, quod suppositiones præcipue variantur variatis quibusdam syncategorematis, quæ vocari solent *signa Logica*, quibus termini *communes* afficiuntur. Sunt autem illa in duplice differentiâ, alia sunt universalia, vel affirmativa, ut *omnis*, vel negativa, ut: *nullus*, alia sunt particularia, vel affirmativa, ut *aliquis*, vel negativa, ut *aliquis non*.

His positis pro suppositione subjecti traditur

*Regula prima: Subjectum affectum signo 25 universalis supponit vel distributivè, vel collectivè juxta exigentiam prædicati, ut: omnis homo est admiratus, ubi subjectum supponit distributivè. In hâc autem propositione: omnes Planetæ sunt septem: subjectum supponit collectivè, sic enim exigit prædicatum, quod est terminus collectivus.*

*Regula 2da: Subjectum affectum signo parti 26*

G

culari

supponit vel determinatè vel confusè *juxta exigentiam prædicati*, unde: subjectum hujus propositionis: *aliquis homo est niger*, supponit determinatè, subjectum verò hujus propositionis: *aliqua navis est necessaria ad navigandum*, supponit confusè, quia prædicatum involvit, unum ex signis confusionis: qualia sunt: *necessarium, promissum, donum, debitum & similia.*

27 *Regula 27a.* Si subjectum sit terminus mixtus, supponit *juxta exigentiam syncategorematis subintellekti*, ideoque resolvidebet, ut in hac propositione: *nemo est immortalis*, subjectum supponit distributivè, cum *nemo* sit idem, ac *nullus homo*, & in hac propositione: *alteruter erit vicitor*, subjectum supponit determinatè, quia *alteruter* idem est, ac *unus ex duobus*, & sic proportionaliter judicandum est de signis æquipollentibus.

28 *Regula 28a.* Subjectum non affectum signo supponit distributivè, si propositio sit in materia necessariâ vel impossibili, quia propositio indefinita in materia necessariâ & impossibili æquivalet universalis, ut dictum est de propositione N. 24. Si autem propositio sit in materia contingente, subjectum supponit vel determinatè vel confusè *juxta exigentiam prædicati*, quod patet ex Regula 2dâ.

Regula

*Regula 1a.* Subjectum supponit distributive, si sit terminus communis, & penes se habeat particulam *solum*, similiter si prædicatum sit nomen comparativum, vel superlativum, ut: *solus canis latrat*, *leo est animalium fortissimum*, *equus est fortior lepore*.

Pro suppositione prædicati assignatur.

*Regula 1ma.* Prædicatum taliter supponit, qualis est terminus, unde si prædicatum sit terminus primæ intentionis, supponit personaliter. Si sit terminus secundæ intentionis, supponit simpliciter. Si sit terminus collectivus, supponit collectivè, &c.

*Regula 2da.* Prædicatum propositionis affirmativæ, vel universalis, vel particularis  
NB. Regulariter supponit determinatè, ut prædicatum hujus propositionis: *Homo est animal* supponit pro determinata specie animalis, prædicatum hujus propositionis: *Petrus est homo*, supponit pro determinato individuo.

Dictum est Regulariter, quia per accidens fieri potest, ut prædicatum propositionis universalis affirmativæ propter vertibilitatem cum subje<sup>t</sup>o, supponat distributivè, ut sit in hac propositione: *homo est rationalis*.

*Regula 3ta.* Prædicatum propositionis negativæ, vel universalis vel particularis sup-

ponit distributivè, ut: *nullus homo est brusum.* aliquis homo non est equus.

### ARTICULUS TERTIUS.

*De ceteris proprietatibus Terminorum.*

33 **C**ONCLUSIO I. Ampliatio est extensio termini, vel acceptio extendens terminum à minore suppositione ad majorem suppositionem, unde terminus tunc dicitur ampliati, dum vel importat supposita plura, vel differentias temporis plures, quam copula importet, ut: *homo curret*, ubi *y homo non accipitur* tantum pro homine futuro, sed etiam pro praesenti.

34 Quæres. Quotuplex sit ampliatio?

C. Duplex, alia est Temporum, alia Suppositorum. Ampliatio Temporum fit, quando terminus non tantum supponit pro eo tempore, quod per copulam importatur, sed etiam pro alio, ut in hac propositione: *Antichristus peccabit*, ubi *Antichristus* ampliatur ad tempus tam praesens quam futurum, ut sensus propositionis sit: *Antichristus, quando est velerit, peccabit*.

Ampliatio Suppositorum fit, quando terminus accipitur pro pluribus suppositis, quam per copulam importantur, ut: *homo peccavit*, ubi *homo* accipitur, tam pro homine praesente, quam praeterito, & sensus

sus propositionis est: *homo, qui est vel fuit, peccavit.*

Advertendum. Ampliatio temporum 35 locum habet tam in termino singulari, quam communi. Ampliatio suppositorum tantum cadit in terminum communem, non vero in singularem, cum hic non possit pro pluribus accipi.

Regulae Ampliationis sunt sequentes: 36

Regula Ima: Verbum præteriti temporis ampliat subjectum ad prætens & præteritum, ut: *senex fuit puer, ubi ly senex stat prosene qui est velfuit, ly puer vero stat pro puer, qui fuit.*

Regula 2da: Verbum futuri temporis ampliat 37 subjectum ad prætens & futurum, sed restringit prædicatum ad futurum, ut: *puer erit senex, ubi ly puer stat pro puer, qui est velerit, ly senex stat pro lene, qui erit.*

Regula 3ta. Verbum Potest ampliat subjectum & prædicatum ad tempus præsens, præteritum futurum & possibile, ut: *Homo potest esse albus, ubi tam ly homo quam albus stat pro eo, qui vel est, vel fuit, vel erit, vel potest esse.*

Regula 4ta: Adverbium: *imaginabiliter* 39 positum in propositione, ampliat subjectum & prædicatum ad omnes differentias temporis,

ris, ut: *homo imaginabiliter currit*, ubi tam *homo*, quam *currens accipitur vel pro praesenti, vel pro præterito, vel pro futuro, vel pro possibili, vel pro imaginabili*. Unde.

Colliges. Quod quidem apud Physicos sint tres differentiae temporis, scilicet *praesens, præteritum, & futurum*, apud Dialeticos tamen sint quinque, *praesens, præteritum, futurum, possibile, imaginarium*.

40 Regula 5ta: Termini significantes prioritatem aut inceptionem, ampliant terminos, quibus applicant suum significatum, ad *praesens vel futurum*: ut, *Pater est prior Filio*, ubi ly *Pater* supponit pro illo, qui *est vel erit*. Similiter: *lectio incipit*, ubi ly *lectio* supponit pro *lectione*, quæ nunc *primum est*, vel *immediatè post erit*.

41 Regula 6ta: Termini significantes posterioritatem aut destinationem ampliant ad *praesens vel præteritum*, ut: *Filius est posterior Patre*, ubi ly *Filius* accipitur pro illo, qui *est vel fuit*. Similiter: *lectio desinit*, ly *lectio* accipitur pro illâ, quæ *est*, vel *immediate ante fuit*.

42 CONCLUSIO II. *Restrictio* est *Limitatio termini à majore ad minorem suppositionem*, ut: *homo justus diligit Deum*, ubi ly *homo* restringitur ad solum *justum*.

*Restrictio* opponitur *ampliationi*, &  
quia

quia tot modis dicitur unum oppositorum, quod modis dicitur alterum, hinc restrictio etiam dividitur in aliam Temporum, & aliam Suppositorum.

Restrictio Temporum fit, quando terminus limitatur ad pauciores differentias temporis, ut : Imperator, qui modo est, triumphabit, ubi ly Imperator restringitur ad solum praesentem.

Restrictio suppositorum fit, quando terminus limitatur ad pauciora supposita, ut : homo doctus promovebitur.

Quæres. Quot modis fiat restrictio? 43

R. Quatuor : 1mò, dum substantivo additur adjективum, ut : studiosus piger contemnitur. 2dò, dum termino apponitur casus obliquus, ut : doctrina S. Thome est tutissima. 3iò, dum termino additur substantivum minus commune, ut : Rex Alexander devicit mundum. 4tò, si addetur copula implicationis, ut : homo, qui colit B. Virginem, non peribit.

CONCLUSIO III. Alienatio est Translatio termini à propriâ ad impropriam significacionem, ut : homo est pictus, ubi terminus homo, qui propriè significat animal rationale, per prædicatum pictus transfertur ad significandam imaginem hominis pictam. Potrò Adjectivum, quod alienat subjectum, debet

bet ponit ex parte prædicati, *talia enim sunt subjecta, qualia permittuntur à suis prædicatis, quando autem adjectivum ponitur ex parte subjecti, tunc subjectum non alienat, sed restringit, ut: homo marmoreus est statua,*

**45 CONCLUSIO IV.** Diminutio est limitatio termini totaliter supponentis, ad supponendum pro aliquâ parte, ut: *Æthiops est albus secundum dentes, ubi ly albus, quod alias supponit abolute pro toto, limitatur per additas particulas: secundum dentes, ut tantum supponat pro parte.* Talis limitatio vocatur *dictum secundum quid*, pro quo

**46** Advertendum, si forma nata sit inesse toti & parti, tantum verò insit parti, forma dicitur toti convenire tantum secundum quid, ut: *albedo potest inesse toti corpori, & dum inest soli parti corporis v. g. dentibus Æthiopis, dicitur Æthiops albus secundum quid, vel cum addito, secundum dentes.* Si verò forma possit tantum inesse parti, tunc, dummodò illi insit, forma dicitur toti convenire simpliciter, sic claudicatio tantum potest inesse parti hominis, taliacet pedi, & hinc si homo pede claudicet, dicitur simpliciter claudus.

**47 CONCLUSIO V.** Appellatio est applicatio significati formalis termini appellantis ad significatum formale vel materiale termini appell.

appellati. Ad intelligendam hanc defi-  
nitionem.

Recollendum ex dictis de terminis N.  
52. quod terminus tam concretus, quam  
connotatus habeat duplex significatum;  
aliud *formale*, quod est ipsa forma, aliud  
*materiale*, quod est subjectum formæ. De-  
inde

Advertendum. Terminus *Appellans* est<sup>48</sup>  
ille, qui suum significatum *formale* vel  
*formam*, quam significat, applicat termi-  
no, suprà quem cadit, & terminus *appel-  
latus* est ille, cui significatum *formale* al-  
terius termini applicatur, sic dum dicitur:  
*Plato est magnus Philosophus*, ly *magnus* dici-  
tur terminus *appellans*, quia tribuit deno-  
minationem termino adjuncto: *Philosophus*.  
Terminus *appellatus* autem est *Philosophus*,  
cum hic denominetur *magnus*, ex quo  
exemplo patet, quod non tantum *appel-  
lare* possit prædicatum supra subjectum, sed  
etiam una pars prædicati supra alteram. Si-  
militer, dum dicitur: *album est dulce*, ter-  
minus *appellans* est *dulce*, terminus verò ap-  
pellatus est *album*.

Quæres imò. Quotuplex sit appellatio?<sup>49</sup>  
R. Duplex, alia *Materialis*, alia *For-  
malis*. Appellatio *Materialis* est, quando  
significatum *formale* termini appellantis ca-

dit suprà significatum *materiale termini* appellati, v. g. *Medicus cantat*, hìc *cantare*, quod est significatum *formale termini* appellantis non convenit *Medico spectato secundùm formam*, vel *Artem Medicam*, id est, non convenit *Medico formaliter*, quatenus *medicus* est, sed tantùm *materialiter convenit subjecto* vel homini, qui est *medicus*, unde in dictâ propositione est appellatio *Materialis*.

Appellatio *Formalis* est, quando significatum *formale termini* appellantis cadit suprà significatum *formale termini* appellati, v. g. *Medicus sanat*, ubi *sanare* convenit *medico formaliter spectato secundùm formam* vel *Artem Medicam*, & hinc est appellatio *Formalis*.

Quæres 2dò. Ex quibus regulis dignoscatur, an fiat appellatio *formalis*; an *materialis*?

50 R. Varias eas passim assignari, sed cum in propositionibus quoad terminos eodem modo dispositis *subjectum* inveniatur, aliquando *materialiter*, aliquando *formaliter* appellatum, ut constat ex his 1. *album est dulce*, 2. *album est coloratum*, 3. *homo justus est dives*, 4. *homo justus est amicus Dei*, 5. *Alexander magnus fuit discipulus Aristotelis*, 6. *Alexander magnus à Curtio est laudatus*, in quarum

quarum propositionum imâ, ȝtiâ, ȝtâ & 6â est appellatio materialis, in cæteris est appellatio formalis, propterea ad dignoscendam appellationem observanda est:

*Regula infallibilis*, quando particulæ reduplicativæ quatenus, in quantum, prout & similes possunt addi termino appellato manente veritate propositionis, signum est appellationis *formalis*. Si verò tales particulæ termino appellato non possint addi salvâ veritate propositionis signum est appellationem esse *materiale*, v.g. si dubitetur, quænam appellatione fiat in his propositionibus: *album est coloratum*, *album est dulce*, ita procedendum est. subjecto primæ propositionis additur particula reduplicativa: *quatenus dicendo: album quatenus album, est coloratum*, & quia manet propositio vera, & albedo est *ratio formalis*, quare significatum formale prædicati scilicet *color* conveniat subjecto, inde colligitur fieri appellationem *formalem* In altera verò propositione: *Album est dulce*, quia cum veritate dici non potest, *album quatenus album est dulce*, sed dicendum est: *album, quod est album, est dulce*, colligitur esse appellationem *materiale*. Ubi

Advertendum imò, quod ad hoc ut appellatio formalis colligatur ex particulis: *quatenus, prout, &c.* non sufficiat per illas redu-

reduplicari puram conditionem, sine qua prædicatum non conveniret subiecto, sed debeat reduplicari ipsa causa vel ratio formalis. Unde in hac propositione: *ignis quatenus applicatus, urit*, non sit in rigore Dialectico appellatio formalis, quia ly: *quatenus non reduplicat rationem formalem*, quare uestio conveniat igni, sed tantum conditionem sine qua non, approximatio enim non est ratio vel causa uestionis, sed purè conditio ad urendum requisita.

52 2dò. Dictæ particulæ debent accipi propriè & in sensu *reduplicativo*, non verò abusivè & in sensu *specificativo*, in quo tantum explicant concomitantiam prædicati cum subiecto, ideoque in hac propositione: *Soi, quatenus illuminat exsiccat* (quæ in sensu proprio & rigoroso est falsa) non sit appellatio formalis, quia particula: *quatenus specificativè accipitur*, & indicat præcisè simultatem virtutis illuminandi & exsiccandi in sole, non verò accipitur reduplicativè, reduplicando causam exsiccationis, si enim illuminatio esset causa, quare sol exsiccaret, deberet exsiccare omnes res, quas illuminat, quod falso esse patet, v. g. in Cera.

Pro terminis numeralibus datur

53 Regula specialis, Numeralia primitiva, ut: *duo, tres*, si applicentur substantivis, appellant


lant tam formaliter, quam materialiter; ideoque multiplicant & formam, & subjectam, ut: video duos homines, quæ propositio facit hunc sensum, video duo individua habentia duas humanitates. Siverò applicentur nominibus adjectivis, appellant solùm materialiter, ideoque non multiplicant formam, sed subjectum: ut video tria rotunda, id est: video tria subjecta habentia rotunditatem.

Quæres 3rdo. Quid Dialectici intelligent<sup>54</sup> per Statum & Distractionem termini?

R. 1mò. Status est acceptio termini pro sola differentia temporis per copulam importati, v. g. homo ambulat, ubi homo tantum sumitur pro homine præsente; non autem pro præterito, vel futuro, & dicitur habere Statum, quia non extenditur ultra tempus per copulam significatum: Status tantum habet locum in propositionibus contingentibus.

R. 2dò. Distractio est acceptio termini pro<sup>55</sup> eo, quod non existit pro differentia temporis per copulam importati, ut: cœsi vident, cum enim termini illius propositionis cœcus & videns significant formas incompossibiles, necessariò ad diversa tempora recurrentum est, ut propositio verificetur in hoc sensu: qui anteā fuerunt cœsi, jam vident. Similiter distractio fit in hac enunciatione: proposizio resolvitur in subjectum & prædicatum, cuius

jus sensus est: *Propositio resolvitur in terminos, qui antea in propositione fuerunt subjectum & prædicatum.*



## INFORMATIO QUARTA.

### *De Proprietatibus Propositionis.*

1. **Q**uemadmodum ex habitudine, quam unus Terminus in propositione dicit ad alterum, resultant variæ proprietates terminorum jam explicatæ, ita ex comparatione unius propositionis ad aliam, earumque variâ combinatione secundùm quantitatem & qualitatem, enascentur proprietates propositionum, quæ sunt *Oppositio*, *Æquipollentia*, & *Conversio* de quibus hic agendum.

### ARTICULUS PRIMUS

#### *De Oppositione.*

2. **C**ONCLUSIO I. *Oppositio est affirmatio & negatio, ejusdem de eodem.*

Explicatur Definitio. Dicitur imò. *Affirmatio & negatio, quæ particulæ ponuntur pro genere, omnis enim oppositio est affirmatio & negatio, non tamen omnis affirmatio & negatio est oppositio.* Porro ad oppositionem *Logicam* requiruntur duæ propositiones, quarum una sit affirmativa, altera nega-

negativa; proinde negatio & affirmatio cādant supra copulam principalem.

Dicitur 2dō. *Eiusdem de eodem.* Quæ particulæ ponuntur pro differentia, & sic intellegendæ sunt, quod debeat esse omnino idem prædicatum, & omnino idem subjectum, & quidem termini debent esse iidem.

1mō. Quoad nomen & casum nominis.  
 2dō. Quoad rem significatam. 3tō. Quoad suppositionem & alias proprietates. NB. Suppositio tamen *distributiva* & *determinata* commutari debent in omni oppositione propriè tali, ex parte prædicati, & in contradictoria etiam ex parte subjecti. 4tō. Quoad integritatem. 5tō. Quoad circumstantias loci & temporis. Unde vera oppositio non exercetur in sequentibus.

1mō. *Petrus est diligens, Petrus non est do-*  
*ctus. Liber est Petri, liber non est Petrus.* 2dō,  
*Canis (terrestris) latrat, canis (marinus)*  
*non latrat.* 3tō. *Homo (in suppositione sim-*  
*plici) est species, homo (in suppositione per-*  
*sonali) non est species.* 4tō. *Logicus studet, Lo-*  
*gicus non studet diligenter.* 5tō. *Sol lucet (de*  
*die) Sol non lucet (de nocte)* 6tō. *Imperator*  
*est Viennæ (in Austria) Imperator non est*  
*Viennæ (in Gallia.)*

CONCLUSIO II. Oppositio dividitur  
 in Contrariam, Subcontrariam, & Contradicto-  
 riā.

Ratio

Ratio est, quia oppositio est affirmatio & negatio ejusdem de eodem, ergo tot modis sit oppositio, quot modis inter propositiones intercedit affirmatio & negatio, sed tribus tantum modis inter propositiones exercetur affirmatio & negatio, vel enim illa fit inter duas propositiones *universales*, & sic est oppositio *Contraria*, vel fit inter duas propositiones *Particulares*, & sic est oppositio *Subcontraria*, vel fit inter duas propositiones unam *universalem*, alteram *particularem*, & sic est oppositio *Contradictoria*, ergo tres tantum sunt modi oppositionis. Est itaque

Oppositio *Contraria* affirmatio & negatio inter duas propositiones *universales* ejusdem subjecti & prædicati, ut: *Omnis homo est Justus, nullus homo est Justus.*

Oppositio *Subcontraria* est affirmatio & negatio inter duas propositiones *particulares* ejusdem subjecti & prædicati, ut: *aliquis homo est Philosophus, aliquis homo non est Philosophus.*

Oppositio *contradictoria* regulariter fit, quando est affirmatio & negatio inter duas propositiones ejusdem subjecti & prædicati, quarum una est *universalis*, altera *particularis*, ut: *omnis homo est probus, aliquis homo non est probus, vel nullus homo est probus, aliquis homo est probus.*

Datur

Datur etiam alia oppositio, quæ dicitur *Subalterna*, & sit vel inter duas propositiones affirmativas, vel inter duas negativas, ut, si una affirmativa sit universalis, altera affirmativa sit particularis, sic etiam de duabus negativis, ut, *Omnis homo est animal*, *aliquis homo est animal*; & *nullus homo est malus*, *aliquis homo non est malus*. Dicitur hæc oppositio *Subalterna*, quia propositio particularis, quæ dicitur *subalternata*, continetur sub universalis; quæ dicitur *subalternans*. Hæc tamen non est oppositio propriè & simpliciter dicta, quia non intercedit affirmatio & negatio, dici tamen potest oppositio *secundum quid*, quia ambæ propositiones opponuntur secundum quantitatem. Circâ oppositionem Contradictoriam,


Advertendum, si subjectum propositionis sit terminus *communis supponens distributivè*, vel determinatè, tunc ut fiat ejus contradictoria, non tantum debet mutari *qualitas propositionis*, sed etiam *quantitas*, v. g. ut fiat contradictoria hujus: *Omnis homo est rationalis*, debet formari propositio particularis negativa, per ly *aliquis non*, dicendo: *aliquis homo non est rationalis*; si vero subjectum propositionis sit terminus *singularis*, aut si sit terminus supponens vel *simpliciter*, vel *collectivè*, vel *confusè*, *quantitas propositionis*

sitionis mutari non debet, si enim formanda esset contradictoria hujus: *Omnes Evangelistæ sunt quatuor, & diceretur: aliquis Evangelista non est quatuor,* propositiones non essent contradictoriæ, cum utraque sit vera, ut ergo similiūm propositionum contradictoriæ formentur, relictâ eārum quantitatē, & suppositione, pēnes copulam ponenda solum est particula non, v.g. *Omnes Evangelistæ sunt quatuor, omnes Evangelistæ non sunt quatuor.* *Aliquis calamus est necessarius ad scribendum, aliquis calamus non est necessarius ad scribendum.* *Petrus est miles, Petrus non est miles.* *Animal est genus, animal non est genus, &c.*

6. Dubitabis. Quomodo opponantur hæduæ propositiones: *omnes homines currunt, aliqui homines non currunt.*

R. Illas non pertinere directè ad aliquam oppositionem, sed tantum reductivè, Ratio est, quia in primis non pertinent directè ad contrariam, cum una illarum sit particularis. Deinde non ad Contradictoriam, cum ambæ possint esse falsæ, supposito, quod tantum unus homo curreret. Neque etiam ad subcontrariam, cum una sit universalis: Nec demum ad subalternam: cum una sit affirmativa, altera negativa. Reducuntur tamen ad oppositionem contrariam, quia utraque potest esse falsa (ut dictum est) quod in sola oppositione contrariâ locum habet. Sche-

## Schema Oppositionum.



Quæres, quo sint Leges Oppositionum?

R. Tres, *Ima pro Contrariis* est duæ propositiones contrariæ in nullâ materiâ possunt esse simul veræ, possunt tamen esse simul falsæ in materiâ contingente, v. g. *Omnis homo est doctus, nullus homo est doctus.*

H 2

R 2

Ratio imæ partis est, quia si duæ contrariæ essent simul veræ, sequeretur etiam duas contradictorias esse simul veras, ad veritatem enim duarum contrariatum, quæ sunt universales, requiritur etiam veritas omnium particularium, quæ continentur sub universalibus, si autem universalis affirmativa comparetur cum particulari negativâ, & universalis negativa cum particulari affirmativâ, utrumque erit oppositio contradictoria, & omnes supponuntur veræ, ergo duæ contradictoriæ essent simul veræ.

Ratio 2dæ partis est, quia illa propositione est falsa, quæ significat necessariam habitudinem terminorum, quæ tamen non est, sed duæ propositiones contrariæ in materia contingente, significant *necessariam* habitudinem terminorum, quia ambæ sunt universales, & tamen necessaria habitudo terminorum non adest, quia sunt propositiones *contingentes*, ergo duæ contrariæ possunt esse falsæ in materia contingente.  
Exinde

8 Colliges imò. Quare propositiones contrariæ possint esse falsæ in materia contingente, non tamen in materia necessariâ vel impossibili. Ratio disparitatis est, quia in propositione contingente non est necessaria ter-

terminorum connexio aut repugnantia, v.g. *esse album* potest convenire uni homini, quin conveniat alteri, dum igitur prædicatum *albus* convenit uni, falsa est hæc universalis negativa, *nullus homo est albus*, & dum *esse album* non convenit alteri, falsa est hæc universalis affirmativa, *omnis homo est albus*, & hoc ipso duæ contrariæ in materia contingente sunt falsæ. Sed propositio in materia necessariâ dicit necessariam terminorum connexionem, & propositio in materia impossibili dicit necessariam repugnantiam, unde si prædicatum necessariò conveniat uni, etiam convenit alteri, v.g. *esse hominem* convenit Petro, Paulo, & omnibus individuis humanis, & sic ex propositionibus contrariis in materia necessaria, affirmativa est vera, & negativa est falsa, v.g. *Omnis homo est animal*, *nullus homo est animal*. Si verò prædicatum necessariò repugnet uni, etiam repugnat alteri, v.g. *esse lapidem* repugnat uni & omnibus hominibus, & ex propositionibus contrariis in materia impossibili affirmativa est falsa, & negativa est vera, v.g. *Omnis homo est lapis*, *nullus homo est lapis*.

Colliges 2dò. Quare ad veritatem contriarum in materia contingente requiratur omnes particulares sub universalibus

H 3

con-

contentas esse veras, non vero ad falsitatem, contrariarum in eadem materia requiratur omnes particulares esse falsas.

Ratio hæc est, quia bonum est ex integrâ causâ, malum ex quoconque defectu, veritas autem est de linea boni, ergo ad veritatem contrariarum requiritur integra causa, id est, ut omnes particulares sint veræ, falsitas est de linea mali, ergo ad falsitatem sufficit aliquis defectus, id est, quod una particula sit falsa.

10. Lex 2da pro Subcontrariis est, duæ propositiones subcontrariæ, in nullâ materia possunt esse simul falsæ, possunt tamen esse simul veræ in materia contingente, v. g. aliquis homo est justus, aliquis homo non est justus.

Ratio r̄mæ partis est, quia si duæ subcontrariæ essent simul falsæ, ergo eorum contradictoriæ essent simul veræ, & simul fallæ, in primis duæ contradictoriæ essent simul veræ, si enim falsa esset hæc particularis, affirmativa, aliquis homo est justus, ergo universalis negativa: nullus homo est justus, esset vera, & si falsa esset hæc particularis negativa, aliquis homo non est justus: vera esset hæc universalis affirmativa, omnis homo est justus, & hoc ipso duæ contrariæ essent veræ, ex veritate autem duarum contrariarum, infer-

seritur veritas duarum contradictoriarum,  
ut N. 7. ostensum est.

Deinde duæ contradictoriæ essent simul  
falsæ, quia ex falsitate duarum particula-  
rium sequitur falsitas duarum universalium,  
juxta N. 8. unde si fallæ essent hæ duæ sub-  
contrariæ : *aliquis homo est justus, aliquis*  
*homo non est justus,* falsæ etiam forent hæ  
duæ contrariæ : *omnis homo est justus, aliquis*  
*homo est justus,* ex quibus universalis affir-  
mativa contradicit particulari negativæ : &  
universalis negativa contradicit particulari  
affirmativæ : supposito igitur, quod essent  
propositiones omnes falsæ, etiam duæ con-  
trictoriæ essent simul falsæ.

Ratio 2dæ partis est, quia ex veritate dua-  
rum particularium, non sequitur veritas  
duarum universalium, & ex consequenti  
non inferatur veritas duarum contradic-  
toriarum. Imò potius ex falsitate duarum  
universalium sequitur veritas duarum par-  
ticularium, si enim falsa est hæc propositio  
universalis : *omnis homo est justus,* vera erit  
eius contradictoria, *aliquis homo non est ju-*  
*stus,* & ex falsitate hujus universalis, *nullus*  
*homo est justus,* sequitur veritas contradic-  
toriæ : *aliquis homo est justus,* cum er-  
go duæ propositiones universales contrariæ,  
in materia contingentे possint esse fallæ,

poterunt duæ propositiones subcontrariæ  
in materiâ contingente esse veræ.

**II** *Lex 3tia pro contradictoriis est:* Duæ propositiones contradictoriæ, nunquam possunt esse simul veræ, & nunquam simul falsæ: v. g. *Omnis homo est risibilis*, *aliquis homo non est risibilis*. *Nullus homo est risibilis*, *aliquis homo est risibilis*.

Ratio est, quia idem non potest simul esse, & non esse, ut lumine naturæ notum est, sed in oppositione contradictoriâ idem de eodem semel affirmatur, quod sit, v. g. *omnis homo est risibilis*, & semel negatur quod sit, v. g. *aliquis homo non est risibilis*, ergo si vera sit propositio affirmativa: *omnis homo est risibilis*, non poterit esse vera propositio negativa, *aliquis homo non est risibilis*, unde natum est axioma. *Oppositio contradictoria est omnium maxima*. Tum quia involvit repugnantiam maximam, & hinc inter duo *contradictoria non potest dari medium*. Tum quia plus destruit, quam aliæ oppositiones, *contraria enim & subcontraria destruunt qualitatem, & retinent quantitatem*, *contradictoria autem destruit utramque*. Item *oppositio contraria admittit falsitatem, & subcontraria veritatem duarum propositionum contingentium, contradictoria neutram admittit*.

*Lex*

*Lex quarta addi solet pro Subalternis ( li- 12  
cet non spectet ad oppositionem propriè  
dictam, ut visum est N. 4. ) si duæ propo  
sitiones subalternæ sint in materiâ uicecessariâ,  
vel impossibili, semper sunt simul veræ, vel  
simul fallæ. In materiâ necessariâ veræ sunt:  
*Omnis homo est animal, aliquis homo est animal.*  
Falsæ: *nullus homo est animal, aliquis homo non  
est animal.* In materiâ impossibili veræ sunt:  
*nullus homo est lapis, aliquis homo non est lapis.*  
Falsæ: *omnis homo est lapis, aliquis homo est lapis.**

Ratio patet ex superioribus, quia in ma  
teriâ necessariâ est necessaria *connexio ex  
tremorum*, quæ semper verificat propositi  
ones affirmativas, & falsificat negativas. Si  
militer in materiâ impossibili est necessaria  
*repugnantia*, quæ semper falsificat affirma  
tivas, & verificat negativas. Si verò duæ pro  
positiones subalternæ sint in materiâ *con  
tingente*, tunc falsa potest esse universalis  
vel subalternans, & vera particularis vel  
subalternata, non tamen econtrà vera potest  
esse universalis, & falsa particularis. Unde  
falsa est hæc universalis: *omnis homo est doctus,*  
& vera est hæc particularis: *aliquis homo est  
doctus, non tamen fieri potest, ut vera sit hæc:*  
*omnis homo est doctus, & falsa hæc: aliquis  
homo est doctus.*

Ratio data est N. 9. quia ad falsitatem

H 5

pro-

propositionis universalis sufficit falsitas unius particularis, licet alia particularis sit vera, sed ad veritatem propositionis universalis, requiritur veritas omnium particularium.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### De Äquipollentia.

**13 CONCLUSIO:** Äquipollentia est convenientia duarum propositionum alias oppositarum, proveniens ex particula non, diversis signis addita.

Explicatur definitio: dicitur primò: Convenientia duarum propositionum, quæ particulæ ponuntur pro genere, per easque æquipollentia convenit cum synonymiâ propositionum, v. g. *Tullius est Orator, Cicero est Orator.*

Dicitur 2dd. Alias oppositarum, &c. Quæ particulæ habent locum differentiæ, per æquipollentiam enim duæ propositiones inter se pugnantes ita conciliantur, ut refellant eundem sensum, eandem significacionem, quantitatem & qualitatem, quod fit beneficio particulæ non, quæ signo logico afficienti subjectum, tūm antē, tūm postponitur, v. g. *aliquis homo non est albus, non omnis homo est albus.* Pro claritate.

**14 Advertendum imò,** Ut particula non fa.

facias propositiones æquipollentes, utrobi-  
que sumi debet neganter, non infinitanter,  
quapropter minime debet afficere ipsum  
subjectum, sed signum subjecto appositorum,  
& si particula non bis repeti debeat, semel  
ponenda est ante signum, & semel imme-  
diatè ante copulam.

2dò. Signa, quibus dicta particula addi- 15  
tur: ad faciendam æquipollentiam, debent  
esse vel ambo universalia, ut in contrariis,  
vel unum universale, & alterum particula-  
re, ut in contradictoriis & subalternis, cæ-  
terum, si utraque propositio opposita pe-  
nes se habeat signum particulare, ut in sub-  
contrariis, æquipollentia fieri non potest,  
ut patet infra N. 20.

Tertio, Signorum æquipollentiam ex 16  
his facile capies; Ly non præpositum signo-  
facit illud æquivale re suo contradicto-  
rio, ut: non omnis, idem est ac ali-  
quis non. Signo universali postpositum fa-  
cit illud æquivale re suo contrario, ut: omnis  
non, idem est ac nullus, signo & ante & post-  
positum facit illud æquivale re suo subal-  
terno, ut: non aliquis non, idem est ac  
omnis.

Ratio horum est, quia negatio non cum  
sit malignantis naturæ, destruit, quidquid  
post se invenit, ergo in modo, præfixa signo  
uni-

universalis affirmativo, facit illud particulare negativum. 2dō, præfixa signo universalis negativo facit illud particulare affirmativum. 3tō, præfixa signo particulari affirmativo facit illud universale negativum. 4tō, præfixa signo particulari negativo, facit illud universale affirmativum. Si verò postponatur signo, relinquit quidem ejus universalitatem & particularitatem, quia non destruit, nisi quod post se invenit, destruit tamen affirmationem vel negationem signi, cum alterutram censeatur post se invenire, hoc ipso, quo post se habet copulam, cui convenit affirmare vel negare, unde capies æquivalentiam signorum sequentem.

*Omnis, Nullus non, Non aliquis non.*

*Nullus, Omnis non, Non aliquis.*

*Aliquis, Nonnullus, Non omnis non.*

*Aliquis non, Non omnis, Nonnullus non.*

17 Quæres, Quot dentur Regulæ æquipollentiæ,

R. Tres, comprehensæ hoc vulgari versu:  
Præ, Contradic: post Contrà: præ póstque  
Subalter:

Regula ima pro Contradictoriis indicatur per ly: Præ Contradic: & ita sonat, ut duæ propositiones contradictoriæ fiant æquipollentes, particula non præponi debet signo sub-

subjecti sive in 1mā sive in 2dā propositio-  
ne, v. g. hæ sunt Contradicториæ : *omnis  
homo est animal*, *aliquis homo non est animal*,  
primam propositionem facies æquipollen-  
tem secundæ, dicendo : *non omnis homo est  
animal*, & secundam facies æquipollentem  
1mæ dicendo : *non aliquis homo non est  
animal*.

Regula 2da pro Contrariis indicatur per 18  
ly : Post Contra; & ità sonat : ut duæ propo-  
sitiones contrariæ fiant æquipollentes, po-  
nenda est negatio post subjectum & imme-  
diatè ante copulam alterutrius propositionis,  
v. g. hæ sunt Contrariæ : *omnis homo est  
animal*, *nullus homo est animal*, primam ta-  
ties æquipollentem secundæ, dicendo : *omnis  
homo non est animal*, & secundam facies  
æquipollentem primæ, dicendo : *nullus homo  
non est animal*.

Regula 3ta pro Subalternis indicatur per 19  
ly : Præpostque Subalter. & ità sonat, ut duæ  
propositiones subalternæ fiant æquipollen-  
tes, subjecto utriuslibet propositionis præ-  
poni & postponi debet ly non v. g. hæ sunt  
Subalternæ : *omnis homo est animal*, *aliquis  
homo est animal*, 1mam facies æquipollen-  
tem 2dæ, dicendo : *non omnis homo non est  
animal*, secundam facies æquipollentem 1mæ  
dicendo : *non aliquis homo non est animal*.

Regus;

20 Regula pro Subcontrariis nulla datur, cùm illæ non possint fieri æquipollentes, quocunque modo tractentur, ut supra dictum est. Sit exemplum: Hæ sunt duæ subcontrariæ: *Aliquis homo est animal*, *aliquis homo non est animal*. Si primæ anteponas negationem, dicendo: *Non aliquis homo est animal*, æquipollebit suæ contradictoriæ: *Nullus homo est animal*. Si postponas negationem, dicendo: *Aliquis homo non est animal*, tunc non æquipollebit suæ subcontrariæ, sed est eadem ipsa. Si ante- & postponas negationem, dicendo: *Non aliquis homo non est animal*, æquipollebit suæ subalternanti: *Omnis homo est animal*.

21 Dubitabis. Quomodo subalternata negativa, v. g. *Aliquis homo non est albus*, fiat æquipollens subalternanti: *Nullus homo est albus*. Et ratio dubitandi est, quia secundum Regulam 3tiam debet subiecto subalternatæ præ- & postponi negatio, adeoque vel per tres negationes dicendum est: *Non aliquis homo non non est albus*, quod ineptum videtur, vel deberet dici: *Non aliquis homo non est non albus*, & hoc esset impertinens, cùm ly non possum post copulam afficiat terminum, adeoque sumatur *infinitanter*; unde dicta proposicio non æquipolleret suæ subalternanti, sed contradictoriæ, quia Spec.

Specatis duabus negationibus faceret hunc sensum: *Omnis homo est albus.*

R. Aequipollentia subalternatæ negativæ propter obscuritatem suam vix locum habet, insistendo tamen Regulæ 3tiæ dicendum foret: *Non aliquis homo non non est albus*, qui modus non omnibus Dialecticis improbat. Posset tamen evitari multiplicatio negationis, 1mō, si hoc signum: *Non aliquis non*, mutaretur in aequipollens: *Omnis*, & unica negatio præponeretur copulae, dicendo: *Omnis homo non est albus*, & hoc modo aequipolleret subalternanti: *Nullus homo est albus*, quia *omnis non*, est *nullus*. 2dō, si una tantum negatio præponeretur roti propositioni, dicendo: *Non aliquis homo est albus*, & sic iterum aequipolleret subalternanti, quia *non aliquis est nullus*.

### ARTICULUS TERTIUS.

#### De Conversione.

**C**ONCLUSIO I. *Conversio est Transmutatio unius extremi totalis in alterum extremum totale, manente eadem qualitate & veritate.*

Explicatur. Ad hoc ut fiat legitima conversio, requiritur 1mō, ut totum prædicatum

catur propositionis conversæ , vel quæ  
convertitur , fiat subjectum propositionis  
convertentis , vel in quam sit conversio ,  
sed signum logicum stare debet à principio  
utriusque propositionis , NB. dummodo  
subjectum sit illius capax , ut : Nullus homo  
est equus , nullus equus est homo.

Dictum est NB. Dummodo subjectum sit  
capax signi logici , si etim convertere velis  
hanc propositionem : Nullum brutum est Pe-  
trus , non dices : Nullus Petrus est brutum ,  
sed : Petrus non est brutum.

Requiritor 2dō , ut maneat perfectè  
iidem termini , tam quoad significationem ,  
quam quoad proprietates . Unde non valet  
hæc conversio : Cœci vident , videntes sunt  
cœci . Suppositio tamen proveniens à signis ,  
in conversione per accidens , mutari debet ,  
ut patebit infrà .

Requiritur 3tiō , ut ambæ propositiones ,  
tam conversa , quam convertens , sint af-  
firmativæ , vel ambæ negativæ , ut : Omnis  
homo est animal , aliquod animal est homo .

Requiritur 4tō , ut , si propositio con-  
versa sit vera , etiam convertens sit vera ,  
non tamen opus est , ut , conversâ falsâ ,  
etiam convertens sit falsa . Ratio dispari-  
tatis est , quia conversio legitima est for-  
malis consequentia propositionis conver-  
tentis

tentis ex propositione conversâ, ex vero autem nunquam sequi potest falsum, sed ex falso per accidens sequi potest verum, ut in P. 3. tradetur, unde hæc est bona conversio: *omnis homo est albus, aliquod album est homo*, & tamen ita propositio falsa est, & secunda vera. Ut conversio ex quâ maximè pendet ars syllogismorum, melius intelligatur:

Advertendum 1<sup>o</sup>, quod accuratè ob. 23 servari debeat prædicatum propositionis, & si hoc ponatur implicitè, propositio priùs resolvenda sit, quam convertenda, v. g. si converti debeat hæc propositio: *Sacerdos est in Ecclesia*; noli convertere sic: *Ecclesia est in Sacerdote*, sed priùs resolve propositiōnem: *Sacerdos est existens in Ecclesia*, & tum converte: *aliquod existens in Ecclesia est Sacerdos*. Quod idem observandum est in verbis impersonalibus, ut: *hominem pænitet peccati*, priùs resolve: *homo est pænitens peccati*, & converte: *pænitens peccati est homo*.

2<sup>o</sup>. Si verbum propositionis conver- 24 tendæ sit in futuro, tæpè resolvenda est in participium ejusdem temporis, quod cum prædicato ejus propositionis ponendum est pro subjecto convertentis, interponendo copulam de præsenti, v. g. hæc proposi-

tio: *nullus Sacerdos erit Laicus*, malè converteretur sic: *nullus Laicus erit Sacerdos*, ante igitur resolvenda est propositio hoc modo: *nullus Sacerdos est futurus Laicus*, & jam convertitur. *nullus futurus Laicus est Sacerdos.*

**25** 3to. Si Copula sit de præterito, v. g. *nullus puer fuit senex*, tunc vel finge partici-  
pium fuitus, & dic: *nullus fuitus senex est  
puer*, velejus loco utere particulâ olim, ut:  
*nullus olim senex est puer*, vel explica copu-  
lam per relativum, sic: *nullus, qui fuit  
senex, est puer*, vel ly fuit senex, sic ex-  
prime: *est ingressus senectutem*: & ita con-  
verte: *nullus ingressus senectutem est puer.*

**26** 4to. In propositionibus exclusivis, sive in quibus subintelligitur vocula exclusiva tantum, prius hæc particula propositioni convertendæ addi debet, ut bona conver-  
sio fieri possit, v. g. *nullus Baccalaureus est  
Magister*, ut secundum Regulas converti possit, dicendum prius est: *nullus tantum  
Baccalaureus est Magister*, & tum converti-  
tur: *nullus Magister est tantum Baccalaureus.*

**27** CONCLUSIO II. Conversio triplex est, Conversio Simplex, Conversio per Acci-  
dens & Conversio per Contrapositionem.

Declaratur: Conversio Simplex fit,  
quando subjectum mutatur in prædicatum,  
& præ.

& prædicatum in subjectum, ita ut maneat in utrâque propositione eadem quantitas, id est, universalitas vel particularitas, & eadem qualitas, id est: affirmatio vel negatio, ut: nullus homo est brutum, nullum brutum est homo.

Conversio per Accidens fit, quando sit transmutatio extremorum, ita ut maneat eadem qualitas, mutetur tamen quantitas, ut: omnis homo est animal, aliquod animal est homo.

Conversio per Contrapositionem fit; quando extrema ex terminis finitis, per apopositam particulam non, fiunt infiniti, & tum transponuntur, manente eâdem quantitate & qualitate, ut: omnis homo est rationalis, omnne non rationale est non homo, sed hujus conversionis per contrapositionem rarius est utus, tum, quia obscurior est, quâm ipsa propositio cuius explicandæ gratiâ adhibetur, Tum, quia non servit ad reductionem syllogisticam, cuius gratiâ conversio maximè inventa est. Tum denique, quia in conversione per contrapositionem, non tantum transmutatur prædicatum in subjectum, & subjectum in prædicatum, sed termini planè mutantur, ex finitis in infinitos.

Quæres, Quænam propositiones conver-

I 2

tantur

tantur simpliciter, quænam per accidens,  
& quænam per contrapositionem?

R. Conversio propositionum dignoscenda est ex sequente versu,

EccE, tibI, simp: ArMI; gErOs, acc:  
ArmA, bOnO, con:

Ubi notandæ sunt vocales A, E, I, O, per  
quas designatur propositionum universalitas  
vel particularitas, affirmatio vel negatio,  
hoc ordine: A indicat propositionem uni-  
versalem affirmativam. E universalem ne-  
gativam. - I. particularem affirmativam.  
O particularem negativam, quodiplum do-  
cent sequentes versus:

Afferit A, negat E, sed universaliter ambe,

Afferit I, negat O, sed particulariter ambo.

Præcedens igitur versus apperit conver-  
sionem propositionum modo sequente:

29 1<sup>o</sup>, EccE: Propositio universalis nega-  
tiva convertitur (simp:) simpliciter in pro-  
positionem univertalem negativam, Ut:  
nullus leo est equus, nullus equus est leo.

2<sup>o</sup>, tibI: Propositio particularis affir-  
mativa convertitur simpliciter in particula-  
rem affirmativam, ut: aliquod animal est ra-  
tionale: aliquod rationale est animal.

3<sup>o</sup>, ArMI: Propositio universalis affir-  
mativa convertitur (acc:) per accidens in  
particularēm affirmativam, ut: Omnis homo  
est sensitivus, aliquod sensitivum est homo.

**4tò, gErOs:** Propositio universalis negativa convertitur per accidens in particularem negativam ut: *nullus homo est latrabilis, aliquid latrabile non est homo.*

**5tò ArmA:** Propositio universalis affirmativa convertitur (*Con:*) per contrapositionem in universalem affirmativam, ut: *Omnis homo est vivens, omne non-vivens est non homo.*

**6tò bono:** Propositio particularis negativa convertitur per contrapositionem in particularem negativam, ut: *aliquis homo non est albus, aliquid non-album non est non-homo.*

Habes igitur, quod propositioni universalis affirmativa conveniat modus convertendi duplex, per accidens & per contrapositionem. Propositioni particulari affirmativa, unus: *simpliciter.* Propositioni universalis negativa, duplex: *simpliciter & per accidens.* Propositioni particulari negativa, unus: *per contrapositionem.*

Dices. Propositio universalis affirmativa etiam potest converti simpliciter, ergo non tantum per accidens & contrapositionem. P. ant. Hæc est propositio universalis affirmativa, *omnis homo est rationalis*, sed illa potest converti simpliciter, dicendo: *Omne rationale est homo*, ergo.

R. D. ant. Propositio universalis affirmativa e iam potest converti simpliciter conversione materialiter bona C. ant. Conversione formaliter bona N. ant.

31. Conversio potest esse tripliciter bona,  
 1mo: materialiter tantum (quæ est conversio tantum apparenter talis) quando *in materia* vel ob necessariam connexionem terminorum utrâque propositio habet debitum sensum, regulæ tamen conversionis non servantur (ut contingit in objecto exemplo) ad cōque conversio non est formaliter bona.  
 2dō. Conversio est bona formaliter tantum, quando *in materia* sive servantur regulæ conversionis, ut: *nullus homo est rationalis, nullum rationale est homo.* 3. dō. Conversio est bona materialiter & formaliter simul, quando *in materia vera* regulæ conversionis debite applicantur, ut: *Omnis homo est rationalis, aliquid rationale est homo.* v. etiam de Nat. Argum. N. 6.

32. Debitabis. Quomodo convertantur propositiones singulares.

R. 1mo. Si propositionis singularis, & subjectum & prædicatum sint termini singulares, convertitur simpliciter, sive sit affirmativa, sive negativa, ut: *Cicero est hic Orator, hic Orator est Cicero, Aristoteles non est Virgilius, Virgilius non est Aristoteles.*

R. 2d

R. 2dō. Si subjectum sit terminus singularis, prædicatum sit terminus communis, propositio singularis convertitur per accidens, & quidem affirmativa in particularem, negativa in universalem, Exemplum prioris est : *Petrus est Logicus, aliquis Logicus est Petrus.* Exemplum posterioris est : *Petrus non est brutum, nullum brutum est Petrus.*

## PARS TERTIA.

DE

*Pertinentibus ad Discursum vel  
Argumentationem.*

### INFORMATIO PRIMA.

*De Argumentatione & ejus speciebus.*

#### ARTICULUS PRIMUS.

*De Natura Argumentationis.*

**C**ONCLUSIO. Argumentatio est Oratio explicans illationem unius ex alio.

Explicatur : Dicitur 1mō : *Oratio* ( & quidem perfecta ) quæ particula est genus ad definitionem, divisionem, propositionem.

Dicitur 2dō : *Explicans illationem unius ex alio, & hæ particulæ obtinent rationem differentiarum, & sic intelligendæ sunt : Argumenta-*

mentatio est oratio explicitè per particulam: ergo, designans exercitum illationem consequatis ex antecedente. Unde hæc proposi-  
fi io hypothetica: Petrus currit, & movetur,  
non est argumentatio, quia ex cursu Petri  
quidem sequitur motus, illa tamen sequela in  
dicta propositione non explicatur exercitiè per  
particulam illativam: Ergo, sed tantum im-  
portatur signatè per particulam connexivam:  
Et pro clariore intelligentia definitionis:

2 Adverte imò. Quod in omni Argumentatione dari debeant hæc tria: Antecedens, Consequens, & Consequentia. Antecedens est illud, ex quo aliud infertur, & si antecedens constet una propositione, dicitur Antecedens incomplexum, si verò constet pluribus propositionibus, dicitur Antecedens Complexum, & in Syllogismo, Premisse. Consequens est illa propontio, quæ ex antecedente infertur, & in Syllogismo dicitur Conclusio. Consequentia verò est ipsa connexio consequentis cum antecedente, explicata per particulam: Ergo, vel aliam æquivalentem.

3 2dò. Quod consequens non solum concedi vel negari, sed etiam distingui possit, quia consequens est ipsa propositio, quæ ex antecedente infertur, propositio autem quatenus sub uno sensu est vera, sub alio falsa, distingui potest,

Econ-

Econtra Consequentia concedi quidem potest vel negari, nunquam tamen distingui. Unde consequentia nec debet dici vera, nec falsa, sed bona vel mala, quia veritas & falsitas sunt proprietates solius propositionis, Consequentia autem non est propositionis; sed objectorum per propositiones, vel Antecedentias & Consequens, significatorum connexio. In Disputationibus igitur Respondens dicere nunquam debet: *Distinguo Consequentiam, sed Consequens, & hoc distincto, quoad unum distinctionis membrum concebat Consequentiam ut bonam, id est. Consequens benè inferri ex Antecedente, & quoad alterum Negat Consequentiam, ut malam, id est, negat Consequens ex Antecedente benè inferri.*

Quæres imò. Quotuplex sit Consequentia. ¶

R. Duplex, *Materialis & Formalis*. Consequentia Materialis est, quando ex antecedente verò infertur verum consequens, non *vi artificios & dispositionis terminorum & propositionum, sed tantum vi materie*, id est: propter connexionem terminorum in materia necessaria, vel propter eorum repugnatiā in materia impossibili, ut: *Omnis homo vivit, Petrus vivit, ergo Petrus est homo. Item: aliquis homo non est leo, Petrus est aliquis homo, ergo Petrus non est leo.* Ubi utraque conte-

quentia materialis est, eò quod termini: *homo*, *vivens*, *Petrus*, necessario connectantur, & termini: *homo*, *leo*, *Petrus* absolute repugnant, ideoque omnes propositiones sunt quidem veræ, non tamen servatur debita terminorum dispositio, quia meatum in utroque syllogismo (apparenter tali) non distribuitur. Consequentia formalis est, quando unum infertur ex alio vi artificiose dispositiois terminorum & propositionum, ut: *Omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis.* Unde

5 Deduces primò, Consequentiam esse tripliciter bonam, 1mò: materialiter tantum, 2dò: formaliter tantum, 3tiò: materialiter & formaliter simul, v. & applica dicta de conversione N. 31.

6 2dò, Consequentia materialis & formalis sic dignoscitur; *In primis*, si servatà eadē formā & dispositione terminorum ac propositionum, mutatā solā materiā consequens benè sequatur ex antecedente, prior consequentia (de qua inquiris, an sit formalis, an materialis) est formalis, v. g. in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, consequentia est formalis, quia cuicunque materiæ hanc formam applicueris, semper erit consequentia bona, licet mutatā quandoque materiā propter falsitatem

sit aem antecedentis consequens sit falsum, ut in hoc syllogismo: *Omnis homo est equus, Petrus est homo, ergo Petrus est equus*, ubi propter faltitatem majoris inferitur consequens fallum, consequentia tamen est formaliter bona. Deinde si servatā eādem formā & dispositione terminorum ac propositionum, mutatā solā materiā, ex vero antecedente inferatur falsum, prior consequentia (de qua inquisis) est materialis & materialiter bona, v. g. in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal, omnne rationale est animal, ergo omnne rationale est homo*. Consequentia tantum est materialis, si enim facias syllogismum alium sub eādem formā, sed in diversā materiā, ut. *Omnis homo est animal, omnis leo est animal, ergo omnis leo est homo*, antecedens vel præmissæ sunt veræ, & tamen consequens vel conclusio est falsa, & consequentia est nulla.

Quæres adò. Quænam sint regulæ generales consequentiæ formaliter bonæ.

R. Sequentes. Ima. Ex antecedente vero semper sequitur verum, & nunquam fallum. Ratio est, quia id solum infertur ex antecedente, quod in eo continetur, falsum autem non continetur in vero, quia verum est de genere boni, adeoque ex nullā parte includit falsum, cum bonum sit ex integra causa; hinc sequi-

Sequitur, quod valeant hi modi argumentandi: *antecedens est verum, ergo & consequens est verum*, vel è contrario, *consequens est falsum, ergo & antecedens*.

**8** Regula 2da: *Ex antecedente falso per se sequitur falsum, per accidens tamen sequi potest verum.* Ratio primæ partis est, quia antecedens est causa consequentis, ergo cum effectus per se loquendo debeat assimilari causæ, hinc ex antecedente falso per se sequitur consequens falsum. Ratio 2de partis est, quia per accidens contingere potest, ut effectus causæ non assimiletur, sic contingere potest, ut loco hominis generetur monstrum, ergo ex antecedente falso verum consequens sequi potest per accidens, hinc

Sequitur, quod non valeant hi modi argumentandi: *consequens est verum, ergo & antecedens, antecedens est falsum, ergo & consequens*.

**9** Adverte præterea, quod verum consequens non ita sequatur ex antecedente falso, quasi inter antecedens falsum & consequens verum daretur vera connexio, sed id contingere potest ex dupli capite. **Imo** Quando duo extrema in antecedentecum medio termino falso conjuncta, aliundè connexionem inter se habent, ut in hoc syllogismo: *omnis lapis est animal, Petrus est lapis, ergo Petrus est*

*est animal.* Ubi antecedens falsum est, quia Petrus & animal non connectuntur cum lapi-  
de, sed ei repugnant, & tamen conse-  
quens: ergo Petrus est animal, est verum,  
propter connexionem, quam Petrus & ani-  
mal inter se dicunt, independenter à medio  
ilius syllogismi, quod est: *lapis*.

2dò contingere potest, ut ex antecedente  
falso sequatur consequens verum *vi formae*,  
scilicet quando facta suppositione vel conce-  
so antecedente falso, consequens absolute  
falsum, *vi formae* bene infertur, ut verum,  
quod contingit in hoc syllogismo: *Omnis*  
*Leo est irrationalis*, *Petrus est Leo*, ergo *Petrus*  
*est irrationalis*, ubi consequens quidem est  
absolute falsum, supposito tamen, quod ali-  
quis præmissas concederit ut veras, *vi for-  
mæ* cogitur etiam ad concedendum conse-  
quens, ut verum.

Regula 3tia. Ex antecedente necessariò sem 10  
per sequitur consequens *Necessarium*. Ratio est,  
nam quia, quæ in antecedente necessariò  
connectuntur cum medio, etiam in conse-  
quentे necessariò connectuntur inter se,  
sunt etiam, quia si ex antecedente necessa-  
riò, posset sequi consequens contingens,  
jam ex vero posset sequi falso, contingens  
enim potest esse falso. Eadem Ratio po-  
sterior evincit, quod ex antecedente possi-  
bili

bilitantum sequatur conseqens possibile, quia alias ex antecedente vero sequi posset falsum, cum possibile possit esse verum, Impossibile autem sit absolute falso.

**xi** Regula 4ta. *Ex antecedente contingente per se sequitur consequens contingens, per accidens vero potest sequi consequens necessarium.* Ratio data est in regulâ 2dâ, & præterea quoad 2dam partem sic ostenditur, quia unum extreum cum altero extremo habens necessariam connexionem, quandoque in antecedente cum medio termino unitur contingenter, ut patet in hoc enthymemate: *Petrus est currens, ergo Petrus vivit, ubi Petrus & currens in antecedente contingenter connectuntur, & ita antecedens est contingens, in consequente vero Petrus & vivens connectuntur necessariò, & ita consequens est necessarium.*

**xii** Regula 5ta: *Ex antecedente Impossibili per se sequitur consequens Impossibile, per accidens autem potest sequi quodlibet, id est: possibile, contingens, necessarium ( v. Regulam 2dam ) quod patet in sequentibus exemplis: homo est canis, ergo homo est latrabilis, vel: ergo homo potest currere, vel: ergo homo videt, vel: ergo homo est animal, ubi ex antecedente Impossibili inferitur imum conseqens impossibile.* 2dum Possib.

Possibile. 3tium Contingens. 4tum Nec-  
cessarium.

Dubitabis 1mō. An sit bona consequen-  
tia à sensu negante ad infinitantem.

R. Ex regulā Dialecticorum : A propo-  
sitione Negativā ad Affirmativam variato  
prædicato penes Finitum & Infinitum ( po-  
si à constantiā subjecti, id est: si constet  
dari velexistere subjectum ) bona est conse-  
quentia, hinc benè sic argumentor, Pe-  
trus non est Logicus & Petrus est, ergo Pe-  
trus est non Logicus, si enim Petrus sit,  
& non sit Logicus, erit aliis à Logico, con-  
sequenter erit non Logicus.

Adverte tamen, quod hic modus argu-  
mentandi non teneat in reduplicativis. Un-  
de non valet hęc consequentia; homo secun-  
dum se non est albus, ergo homo secundum se  
est non albus, homo enim secundum se &  
quoad sua principia essentialia, neque est  
albus, neque est non albus, sed ab utroque  
præscindit.

Dubitabis 2dō. An valeat Argumentum  
à sensu Distributivo ad Collectivum, vel  
ècontrà.

R. 1mō. Quoad prædicata communia  
distributioni & collectioni valet ille modus  
argumentandi, v. g. Omnes Apostoli collectio-  
nē sumpti sunt sancti, ergo Petrus Apostolus  
est

*est sanctus, Paulus Apostolus est sanctus, & sic de aliis Apostolis.* In prædicatis verò non communibus tale argumentum non tenet, v. g. *Omnes Apostoli sunt duodecim, ergo Petrus est duodecim, &c.*

R. 2dō. Si collectio tantum sit *materialis*, licet argumentari à sensu distributivo ad collectivum, & econtrà, v. g. *Omnis Evangeliste collectivè sumpti sunt fideles*, ubi subjectum quidem materialiter, & in sensu grammatico importat collectionem, formaliter tamen & in sensu Dialectico accipitur distributivè, quia supponit pro inferioribus etiam seorsim enumerandis, si vero collectio sit *formalis*, id est: terminus etiam in sensu Dialectico accipiatur collective, talis argumentatio locum non habet,

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Divisione Argumentationis.*

15 **C**ONCLUSIO: Membra dividentia sive species Argumentationis sunt sex: *nimirum, Inductio, Exemplum, Dilemma, Sorites, Enthymema, Syllogismus.*

Declaratur: *Inductio* est argumentatio, in quâ vel ex pluribus particularibus NB sufficienter enumeratis infertur propositio universalis (& hic modus dicitur *Ascensus*, quia ab inferioribus ascendit ad superius) vel ex

ex propositione universalis inferuntur plures particulares, & hic modus vocatur *Descensus*, quia à superiori descenditur ad inferiora. Exemplum 1mi est: Petrus est rationalis, Paulus est rationalis, Joannes est rationalis, & sic de singulis, ergo omnis homo est rationalis. Exemplum 2di est: Omnis homo est rationalis, ergo Petrus est rationalis, Paulus est rationalis, &c.

Dictum est: *Ex pluribus particularibus*, (sive sint individua respectu speciei, sive sint species respectu generis) NB. sufficien-  
ter enumeratis, ut enim fiat perfecta induc-  
tio per alcensum, omnia inferiora enumera-  
ti debent, saltem implicitè, quod fit per  
additas particulias: & sic de singulis, vel  
similes, alàs enim talis induc̄tio est nulla,  
sic hanc propositionem: *Nullum elementum*  
*est navigabile*, frusta conaberis probare  
per hanc inductionem: *nec ignis est navi-  
gabilis*, *nec Aér est navigabilis*, *nec Terra*  
*est navigabilis*, ergo nullum elementum est  
*navigabile*, malè, quia omittitur elemen-  
tum *Aqua*.

Exemplum est argumentatio, in qua pro 16  
ceditur ab uno singulari ad aliud singulare,  
ita ut utrumque conveniat in aliqua ratione,  
quæ sit vera causa effectus de utroque enun-  
ciati, v. g. Petrus pœnitens obtinuit gratiam,

K

ergo

ergo & hic homo pœnitens obtinebit gratiam,  
ubi in primis inter Petrum & hunc hominem  
est convenientia in pœnitendo, deinde pœni-  
tentia est vera causa gratie.

Cæterum, si alterutra conditio des-  
ciat, argumentatio ab Exemplo non tenet,  
v. g. Salomon sapientissimus factus est Idololatrica,  
ergo & tu sapiens fies Idololatrica, non  
valet illatio, cum abusus sapientiae, non  
ipsa sapientia, in Salomone cœla fuerit ido-  
lolatriæ.

17 Dilemma est argumentatio, constans  
duobus membris, NB. immediate oppositis,  
quorum utrumlibet respondens elegetur,  
premitur, & hinc etiam vocatur Syllogismus  
cornutus, v. g. Vel Parentes honoras, vel  
non honoras? si honores, cur eis non obedis?  
si non honores, quarto precepto Decalogi re-  
pugnas.

Dictum est: Duobus membris, NB. im-  
mediate oppositis, si enim inter utrumque  
intercedat medium, dilemma non urget,  
ut: Vel desiisti furari, vel non desiisti? si  
desieris, aliquando furatus es, si non desi-  
eris, adhuc furaris. Hoc sophisticum di-  
lemma vanum est, & facile respondebit  
alter: Nisi probes, quod furati incepit, falsum  
erit, quod desiérím, fallum,  
quod

quod non desierim, id est: quod continuaverim, prius enim est incipere, quam definere aut continuare.

Sorites est argumentatio, constans pluribus propositionibus, ita inter se ordinatis, ut semper praedicatum praecedentis, sit subjectum subsequentis, donec praedicatum propositionis ultime praedicetur de subjecto propositionis omnium primae, v.g. *Omnis homo est animal, omne animal est vivens, omne vivens est substantia, ergo omnis homo est substantia.*

Adverte autem, quod ad hoc, ut Sorites bona sit, requiratur haec conditio, ut extrema propositionum connectantur per se, & non per accidens, ideoque omnia praedicata propositionum subsequentium debent posse cum veritate enunciari de subjecto propositionis primae, alias Sorites non valet. Exemplum est in hoc vulgari, qui bene bibit, bene dormit, qui bene dormit, non peccat, qui non peccat, est amicus Dei, ergo qui bene bibit, est amicus Dei, ubi consequens male infertur, quia nec potus est per se causa somni, nec somnus est per se causa prohibens peccatum, neque etiam praedicatum: non peccans cum veritate enunciari potest de bene bibente.

Enthymema est argumentatio, explicita constans duabus propositionibus, quarum

una infertur ex alia, hæc inter disputandum, communiter dicitur *Antecedens*, illa *Consequens*, v. g. *Petrus est homo*, ergo *Petrus est animal*.

Dictum est *explicitè constans duabus propositionibus*, quia in Enthymemate una propositio dissimulatur, & *implicitè latet*, quæ si poneretur explicitè, haberetur totus syllogismus, unde Enthymema solet vocari *syllogismus incompletus & truncatus*, quia in eo vel deficit Major vel minor, quod ut discernas.

21 Adverte sequentem Regulam: Si in antecedente positum sit subjectum consequentis, tunc deest Major, aliàs deest minor. Exemplum primi est: *Petrus est rationalis*, ergo *Petrus est homo*, hic deficit Major, omne rationale est homo. Exemplum secundi est: omne brutum est irrationale, ergo *Equus est irrationalis*, hic deficit minor: *Equus est brutum*. Si verò Enthymema constet quatuor terminis, ut: *virtus est laudanda*, ergo *vitium est vituperandum*, reduci debet ad syllogismum conditionalem, hoc modo: *Si virtus est laudanda, vitium est vituperandum, virtus est laudanda, ergo vitium est vituperandum*, unde præfato Enthymemati deerat Major.

AR.

## ARTICULUS TERTIUS.

## De Syllogismo.

**C**ONCLUSIO : Syllogismus est argu-<sup>22</sup>  
mentatio, in quā ex duabus propositioni-  
bus (Majore scilicet & minore) infertur  
tertia (quæ dicitur conclusio) vel, ut Ari-  
stotles definit; est oratio, in quā quibusdam  
positis, aliud necessariò sequitur, ideo, quia  
haec posita sunt.

Explicatur definitio Aristotelica: oratio  
ponitur pro genere vel proximo, si intelliga-  
tur oratio argumentativa; vel remoto, si in-  
telligatur oratio absolute sumpta, cæteræ par-  
ticulæ ponuntur pro differentiâ, &

Dicitur 1mò. *Oratio*, non: *orationes*,  
quia syllogismus quidem est compositus ex  
pluribus propositionibus simplicibus, qua-  
rum quælibet est oratio, atque ita materia-  
liter importat plures orationes, est tamen  
oratio formaliter una, unitate compositionis,  
in quantum plures propositiones habent  
*idem medium, eandem formam vel artificiosam*  
*dispositionem*, & ordinantur ad *eundem finem*, qui est *Conclusio inferenda*.

Dicitur 2dò. *In quā quibusdam positis*,  
id est: in quā oratione, duabus propositioni-  
bus, sive Præmissis, scilicet *majore & mino-*

re secundum modum & figuram recte dispositis.

Dicitur 3*io*. *Aliud*, scilicet Conclusio distincta à Præmissis, quæ quidem considerata quoad materiam vel extrema, est eadem cum illis, non tamen est eadem, si consideretur unio extremorum, v. g. in syllogismo affirmativo extrema in Præmissis uniuntur cum Medio, in Conclusione vero uniuntur inter se.

Dicitur 4*to* *Necessariò sequitur*. Non necessitate consequentis vel materiae, quasi deberet esse necessaria connexio inter extrema conclusionis (cum hæc reperiatur in solo syllogismo demonstrativo) sed necessitate consequentiae, vel formæ & illationis, quia conclusio etiam contingens, ex præmissis bene dispositis, necessariò infertur, ita ut concessis semel in tali syllogismo præmissis, conclusio negari non possit.

Dicitur 5*to*. *Ideo*, quia hæc posita sunt, ad indicandum, quod conclusio sequatur ex præmissis, propter artificiosam dispositionem & coordinationem terminorum ac propositionum, & quod unio extremorum cum medio in præmissis, sit causa, cur intellectus necessitetur ad unienda in Conclusione extrema inter se.

**23** Quætes. Quomodo dividatur Syllogismus. R. Syl-

R. Syllogismus ~~iae maius remota~~ 1mo dividitur in *Communem & Singularem*. Syllogismus communis est, cuius medium est terminus communis. Syllogismus singularis vel expositarius est, cuius medium est terminus singularis. Talis est: *Plato est Philosophus, hic homo est Plato*, ergo *hic homo est Philosophus*. De syllogismo expositario ait S. Th. Op. 47. illum esse quandam resolutionem *ad sensum factam*, ad hoc ut id, quod verum erat *quoad intellectum*, sensibiliter declaretur.

2do. ~~iae maius proxima~~ Dividitur in *Categoricum & Hypotheticum* 24, *Categoricus* est, qui constat solis propositionibus *Categoricis*. *Hypotheticus* est, cuius *ana saltem propositio* est *hypothetica*. De syllogismis hypotheticis in hoc tractatu non agimus, quia illi non sequuntur *Leges, Modos, & Figuras syllogismorum*, nisi vertantur in *Categoricos*.

3to. ~~iae maius proximum~~ Dividitur in *Affirmativum & Negativum, Universalem, & Particularem*, quod dignoscit debet penes *conclusionem*, ut syllogismus sit affirmativus; si habeat conclusionem affirmativam, negativus; si negativam, universalis; si universalem, particularis; si particularem.

4to ~~iae maius proximum~~ In *Directum & Indirectum*. *Directus* 26 est, in quo majus extremum concluditur

de minore extremino. Indirectus est, in quo minus extremum concluditur de maiore extremo V. N. 15 Inform. seq.

27 scđ. Dividitur in *Demonstrativum*, *Probabilem*, & *Sophisticum* Syllogismus Demonstrativus (qui etiam dicitur Analyticus, & Scientificus, quia generat scientiam) est, cuius omnes propositiones, & quoad materiam sunt necessariò veræ, & quoad formam bene dispositæ, v. g. *Omnis rationale est discursivus*, *omnis homo est rationalis*, ergo *omnis homo est discursivus*. Syllogismus Probabilis (qui etiam dicitur Topicus, Dialecticus, & opinativus, quia generat opinionem) est, qui quoad formam quidem est legitimus, habet tamen unam saltem præmissam, quæ quoad materiam est contingens, vel probabiliter vera, v. g. *Omnis mater diligit suum filium*, *Catharina est mater*, ergo *Catharina diligit suum filium*, Syllogismus Sophisticus (qui etiam dicitur Fallax, quia generat falaciam) est, qui constat præmissis apparenter veris, reipla tamen falsis, vel quia materia male applicatur, vel quia peccatur contra regulas syllogismorum, de hoc agemus in fine Dialecticæ, ubi detectis locis Sophisticis, eorum varia exempla proponeamus, solvemus.

## INFORMATIO SECUNDA.

## De Principiis Syllogismorum.

**P**rincipia Syllogismorum alia sunt *Intrinsicæ*, ex quibus intrinsecè constituitur syllogismus. Alia *Extrinsicæ*, quæ vel syllogismos dirigunt, & vocantur principia extrinseca *Dirigentia*, vel perficiunt, & vocantur principia extrinseca *Perficientia*.

Principia intrinseca syllogismorum alia sunt *Materialia*, alia *Formalia*. Principia materialia sunt *materia*, ex quâ syllogismus componitur vel proximè, & dicitur *materia Proxima*, vel remotè, & dicitur *materiarenta*. Principia Formalia sunt *Forma*, vel artificiosa coordinatio materiæ syllogismi.

## ARTICULUS PRIMUS.

## De materia Syllogismi.

**N**on loquimur hic de materiâ *circum quam*, quo nomine veniunt res ipse, circa quas versamur syllogisticè discurrendo, sed de materia *ex quâ*, sive de partibus materialibus, in quas forma syllogistica introducitur.

**CONCLUSIO.** *Materia Remota* Syllogismi sunt Termini, *Materia Proxima* sunt Propositiones.

Ratio **imæ** partis est, quia illud est materia remota alicujus compositi, quod intrinsecè constituit materiam proximam, sed termini intrinsecè constituunt materiam proximam syllogismi, cum termini nati sint ad constituendam propositionem, ergo materia remota syllogismi sunt termini.

Ratio **2dæ** partis est, quia illud est materia proxima alicujus compositi, in quod proximè & immediatè introducitur forma, sed forma syllogistica proximè & immediatè introducitur in propositiones, proximè syllogismum componentes, ergo materia proxima syllogismi sunt propositiones.

**3. Quætres rīmō. Quot debeant esse Termini in syllogismo.**

R. Tantūm Tres, qui vocantur *Majus Extremum, Minus Extremum, & Medium.*

*Majus extremum* est terminus, qui ponitur cum medio in *Majore*, atque ita obtinet locum *dignorem*. *Minus extremum* est terminus, qui ponitur cum medio in *mino*re, atque ita obtinet locum *minus dignum* (V. N. 8.) *Medium* est terminus, qui affimitur ad aliquid probandum, & ponitur *bis in præmissis*, non autem in conclusione. Perinde interim est, an termini illi sint *complexi*, an *incomplexi*.

Ratio autem, cur tres tantum termini requiri-

qui.

quirantur ad syllogismum, hæc est: quia vis syllogistica consistit in hoc, ut ex unione duorum extemorum cum medio, concludatur unio eorum inter se, hoc autem totum tribus terminis absolvitur, scilicet medio & duobus extremis.

Declaratur hoc in *Exemplo*, si velis probare hanc propositionem: *peccatum est fugiendum*, per quæstionem, quare & invenies, *quia est malum*, atque ita *malum* erit medium syllogismi formandi, quocum in præmissis unite debes hos duos terminos: *Fugiendum*, *peccatum*, quos deinde in conclusione inter se conjungis, hoc modo: *Omne malum est fugiendum*, *peccatum est malum*. ergo *peccatum est fugiendum*, in hoc syllogismo *malum* est medium, ut dictum est, *fugiendum* est majus *extremum*, *peccatum* est minùs *extremum*.

Quæres 2dò. Quot *Propositiones* requiri-  
rantur ad syllogismum?

Ré. Pariter tantum tres, *Major*, *Minor*, *Conclusio*, ex quibus *Major* & *Minor* vocan-  
tur *Præmissæ*, quia præmittuntur conclusio-  
ni. *Major* est illa *Propositio*, quæ conti-  
net majus *extremum* cum *medio*, & alias  
dicitur simpliciter *Propositio*. *Minor* est illa  
*propositio*, quæ continet minùs *extremum*  
cum *medio*, & alias dicitur *Assumptio*,  
Con-

**C**onclusio est illa propositio, quæ ex duabus præcedentibus per particulam illativam ergo infertur.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De Formâ Syllogismi.*

**C**ONCLUSIO I. Forma syllogismi adæquatè consistit in Figurâ & Modo.

Ratio est, quia syllogismus est compositum artificiale Logicum, forma autem compositi artificialis est *recta dispositio materie*, sed recta dispositio materiæ syllogisticæ est Figura & Modus, Figura enim disponit materiam remotam, scilicet terminos, Modus verò disponit materiam proximam syllogismi, scilicet propositiones, unde

6 *Figura* definitur : Artificiosa dispositio medii cum duobus extremis, secundum *sabjectionem* & *prædicationem*, figuræ enim proprium est disponere terminos, ut ritè subjiciantur, & prædicentur, in ordine ad inferendam conclusionem, quæ dispositio *ex situatione* medii est colligenda.

*Modus* verò definitur : Artificiosa dispositio triūn propositionum, secundum *quantitatem*, & *qualitatem*, id est, secundum universalitatem vel particularitatem, affirmationem vel negationem, Numerum figurarum definierat.

**CON-**

**CONCLUSIO II.** Figura syllogistica  
est *Triplex*.

Ratio est, quia tot sunt figuræ, quot  
modis potest medium de extremis prædica-  
ri; veliis subjici, sed hoc tribus tantum mo-  
dis contingere potest secundum vulgatos  
versus:

Prima semel subicit medium, tum prædicat  
ipsum,

Prædicat Altera bis. Tertia bis subicit.

Quorum hic est sensus: In prima figura  
medium semel est subjectum, & semel prædi-  
catum, ut: Omne rationale est sensitivum,  
omnis homo est rationalis, ergo omnis homo  
est sensitivus.

In 2da figura medium bis est prædicatum,  
ut: Nullum rationale est insensitivum, omnis  
lapis est insensitivus, ergo nullus lapis est ra-  
tionalis.

In 3ta figura medium bis est subjectum,  
ut: Omne animal est corporeum, omne ani-  
male est vivens, ergo aliquid vivens est cor-  
poreum.

Dubitabis, Quid dicendum de Figurâ 8  
Galenicâ, in quâ medium in majore præ-  
dicatur, in minore subjicitur, ut contingit  
in hoc syllogismo: Omne animal est mortale,  
omne mortale est animatum, ergo omne animal  
est animatum. Ante responsonem,

Ad.

Adverte, quod major syllogismi dupliciter spectari possit, imo prout est major & situ & naturâ, hoc modo spectata major obtinet in syllogismo *primum locum*. 2dò, prout est major *naturâ tantum*: & non *situ*, sic spectata major obnere potest *secundum locum* per præmissarum transpositionem. Porrò: In syllogismo illa propositio dicenda est re ipsâ *Major*, quæ est *naturâ talis*, non vero, quæ *tantum situ vel positione*.

R. Figuram illam Galenicam non differre à Figura *ima* Aristotelica.

9 Ratio est, quia Figura *ima* Aristotelica est, in quâ medium *semel* subjicitur, scilicet majori extremo, & *semel* prædicatur scilicet de minore extremo, neque opus est, ut prius, id est, præcisè in propositione *imo loco* posita subjiciatur (idemque in superioribus versibus non diximus: *prima prius sed. prima semel subicit medium*, tum *prædicat ipsum*) sed hoc sit in figurâ Galeni, quia in objecto syllogismo: *mortale est medium*, propositio: *Omne animal est mortale*, quæ *situ* est *ima* vel major, quoad *naturam & exigentiam debitæ dispositionis* est *2da*, vel *minor*, & ita ly: *animal*, quod in eâ ponitur pro subjecto, *naturâ est minus extremum*, de quo prædicatur *medium*,

dium. Similiter propositio. *Omne mortale est animatum*, est quidem *situ secunda vel minor*; quoad *naturam tamen est prima vel major*, & ita ly: *animatum*, quod in eâ ponitur pro prædicato, *natura est majus extreum*, cui medium subjicitur.

Præterea in Figurâ Galeni fit sola transpositio propositionum, sola autem propositionum transpositio ad *Figuram* se habet per accidens, Figura enim non disponit propositiones sed terminos, ut ex definitione ejus constat, unde ad summum dici potest, quod figura Galeni tantum accidentaliter differat à primâ Aristotelis, si enim transponantur præmissæ syllogismi objecti, habetur ipsissimus syllogismus *imæ Figuræ Aristotelicæ* in modo: *Barbara*.

Dices. Sola transpositio præmissarom introducit modos essentialiter diversos, ut patet in *Cesare*, & *Camestres*, ergo etiam inducit figuras essentialiter diversas.

R. N. Coam. Disp. est. Quia modus essentialiter consistit in dispositione propositionum majoris & minoris secundum quantitatem & qualitatem, dum ergo præmissæ taliter transponuntur, ut in uno syllogismo sit major affirmativa, & minor negativa, ut sit in *Camestres*, in alio sit major negativa, & minor affirmativa, ut sit

fit in Cæsare, etiam essentialiter variatur modus, figura autem consistit in *combinatione medii cum extremis*, & in syllogismo Galeni non sit nova combinatio medii cum extremis, ergo neque sit nova figura. De numero modorum sit.

**II CONCLUSIO III.** Modi utiles ad concludendum, sunt Novendecim.

Ratio est, quia tot sunt modi, quot sunt diversæ combinationes propositionum secundum quantitatem & qualitatem, hæ autem sunt Novendecim his verbis comprehensæ:

*Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipson, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum, Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*  
Pro quorum verbum intelligentia

**12 Adverte imò.** Quod in his singula Vocabula denotent singulos Modos, & in quolibet primæ tres syllabæ ( 4ta enim in *Baralipson*, 4ta & 5ta in *Frisesomorum* adjectæ sint metri Philosophici causâ ) denotent tres propositiones syllogismum componentes, ita, ut 1ma syllaba designet *Majorem*, 2da *Minorem*, 3ta *Conclusionem*.

**13 2dō.** In singulis vocabulis debent considerari *Vocales*, quæ indicant quantitatem & qualitatem propositionum, juxta versus:

*Affe-*

**Afferit A**, citatos ubi de conversione. Sic tres Vocales in ly *Barbara*, indicant, quod Major, Minor, & Conclusio, debeant esse universales affirmativæ in syllogismo, juxta modum *Barbara* constructo. In ly *Celarene* 1ma Vocalis Eindicat Majorem debere esse universalem negativam 2da Vocalis **A** indicar Minorem debere esse universalem affirmativam, 3. Vocalis Eindicat Conclusio- nem debere esse universalem negativam, &c. Notandæ etiam sunt consonantes, S. P. M. C. sed desuper infrà, ubi de Redu- ctione.

3tiò. Novem primi modi, usque ad *Cesare*, 14 pertinent ad 1mam figuram. Quatuor se- quentes usque ad *Darapti* pertinent ad 2dam figuram. Sex ultimi pertinent ad 3tiam figu- ram. Pro memoria servient versus:

*Barbara* Figuræ primus est Prima modus,  
*Cesare* Secundæ, tum *Darapti* Tertiæ,  
 Hoc est: *Barbara* est 1mus modus 1mæ fi-  
 guræ. *Cesare* est 1mus modus 2dæ figuræ.  
*Darapti*. est 1mus modus 3tiæ figuræ.

Quæres 1mò. Quotuplex sit modus?

R. Duplex. *Directus*, & *Indirectus*. Mo. 15  
 dus *Directus* est, per quem majus extremum  
 in conclusione prædicatur de minore extre-  
 mo : Modus *Indirectus* est, per quem mi-  
 nus extremum in conclusione prædicatur de

L

majo-

majore extremo. Modi indirecti sunt quinque ex imæ figura, *Baralipton*, *Celantes*, *Dabitis*, *Fapesmo*, *Frisesomorum*, cæteri omnes tam imæ, quam 2dæ, & 3riæ figuræ sunt Directi.

Portò. Præter modos Directos enumera-tos, plures quidem adduci possent, sed minus utiles, idèoque ab Aristotele omissi. Fiant autem potissimum, si in conclusione loco propositionis *subalternantis* inferatur *subalternata*, & ita minus inferatur in conclusione, quam vi præmissarum interripos-set, v. g. ex his præmissis: *nullum rationale est inanimatum*, *omnis homo est rationalis*, potest inferri hæc propositio subalternans: *ergo nullus homo est inanimatus*, & sic habe-tur syllogismus in *Celarent*, vel etiam potest inferri hæc propositio subalternata. *ergo ali quis homo non est inanimatus*, & sic esset syl-logismus in *Celaro*. Similiter non enumera-tut modi Indirecti secundæ & tertiaræ figuræ, quia parum sunt utiles, & ex indirectis imæ figuræ facile parari possunt, v. g. hujus syl-logitmi in *Camestres*: *Omnis homo est risibilis*, *nullus equus est risibilis*, ergo *nullus equus est homo*; Conclusio est directa, quam si simili-citer converteris: ergo *nullus homo est equus*, erit syllogismus indirectus.

• 162

Decla-

Declarantur modi syllogistici per exempla: 16  
 Ad Quatuor Modos Directos Prime,  
 Figure.

1.

Bar. *Omne animal est sensibile,*  
 ba. *Omnis homo est animal,* ergo  
 ra. *Omnis homo est sensibilis.*

2.

Ce- *Nullum sensitivum est planta,*  
 la- *Omnis homo est sensitivus,* ergo  
 rent. *Nullus homo est planta.*

3.

Da- *Omne brutum est irrationale,*  
 ri- *Aliquid animal est brutum,* ergo  
 i. *Aliquod animal est irrationale.*

4.

Fe- *Nullum animal est lapis,*  
 ri- *Aliquis homo est animal,* ergo 17  
 o. *Aliquis homo non est lapis.*

Ad Quinque Modos Indirectos Prime

Figure.

1.

Ba- *Omne animal est sensibile,*  
 ra- *Omnis homo est animal,* ergo  
 lip. *Aliquod sensibile est homo.*

2.

Ce- *Nullum sensitivum est planta,*  
 lan- *Omnis homo est sensitivus,* ergo  
 tes. *Nulla planta est homo.*

L 2

3. Om-

3.

- Da-** *Omne brutum est irrationale,*  
**Bi-** *Aliquod animal est brutum,* ergo  
**tis.** *Aliquod irrationale est animal.*

4.

- Fa-** *Omne animal est sensitivum,*  
**pe-** *Nullus lapis est animal,* ergo  
**mo.** *Aliquod sensitivum non est lapis.*

5.

- 18 **Fri.** *Aliquis homo est animal,*  
**se-** *Nullum brutum est homo,* ergo  
**tom.** *Aliquod animal non est brutum.*

### Ad Quatuor Modos Directos Secunda

#### Figure.

I.

- Ce.** *Nullus asinus est rationalis,*  
**fa-** *Omnis homo est rationalis,* ergo  
**re.** *Nullus homo est asinus.*

2.

- Ca-** *Omnis homo est rationalis,*  
**mes.** *Nullus asinus est rationalis,* ergo  
**tres.** *Nullus asinus est homo.*

3.

- Fes.** *Nullum animal est insensitivum,*  
**ti-** *Aliquod vivens est insensitivum,* ergo  
**no.** *Aliquod vivens non est animal.*

4.

- Ba-** *Omne animal est sensitivum,*  
**ro-** *Aliquod vivens non est sensitivum,* ergo  
**co.** *Aliqua vivens non est animal.*

## Ad Sex Modos Directos Tertiæ Figuræ. 19

1.

- Da. *Omnis homo est rationalis;*  
 rap. *Omnis homo est animal,* ergo  
 ti. *Aliquod animal est rationale.*

2.

- Fe. *Nullum animal est planta,*  
 lap. *Omne animal est vivens,* ergo  
 ton. *Aliquod vivens non est planta.*

3.

- Di. *Aliquod animal est rationale,*  
 fa. *Omne animal est substantia,* ergo  
 mis. *Aliqua substantia est rationalis.*

4.

- Da. *Omne animal est substantia,*  
 ti. *Aliquod animal est rationale,* ergo  
 si. *Aliquod rationale est substantia.*

5.

- Bo. *Aliquod animal non est homo,*  
 car. *Omne animal est vivens,* ergo  
 do. *Aliquod vivens non est homo.*

6.

- Fe. *Nullus lapis est animal,*  
 ri. *Aliquis lapis est substantia,* ergo  
 ion. *Aliqua substantia non est animal.*

Adverte autem facilem Praxin cognoscendi figuram & modum syllogismi. Pro cognoscendâ Figurâ :

1mò. Quærendum est medium, quod ex eo cognoscitur, quod bis ponatur in pre-missis, & non in conclusione.

2dò. Reflectendum est ad versus N. 7. positos, Prima semel subicit &c. statim apparebit figura. Deinde pro cognoscendo modo.

1mò. Discernenda est, quantitas & qualitas propositionum ad versus Afferit A. &c.

2dò. Attendendum est ad versus prescri-  
ptos hic N. 14. Barbara figura. &c. sic totum  
negotium conjectum erit. Pro exemplo sit  
hic syllogismus: aliquod animal non est volatile,  
omne animal est sensitivum, ergo aliquod sen-  
sitivum non est volatile, Medium hujus syl-  
logismi est: animal, quod bis subjicitur in  
premissis, unde colligitur esse syllogismum  
3tiæ figuræ: tertia bis subicit. Deinde major  
est(O) particularis negativa, minor est(A)uni-  
versalis affirmativa, conclusio est (O) par-  
ticularis negativa, ergo quærendus est ex  
tertiâ figurâ modus, cuius prima syllaba in-  
volvit vocalem O. 2da A, 3tia O, incipe quæ-  
rere à Darapti, quæ est 1mus modus 3tiæ fi-  
guræ, & occurret Bocardo, inferes positum  
syllogismum esse in Bocardo. Si autem syllogis-  
mus sit indirectus, eadem viâ procedendum  
est, præterquam, quod modus tunc queri  
debeat, in 1mâ figurâ numerando à Baralip-  
ton, utque ad figuram secundam.

Quæ.

Quæres 2dò. Quænam sint regulæ inveniendi Medium?

R. Unam omnium facillimam hanc esse: Quando probanda est propositio affirmativa, quærenda est causa, quare prædicatum conveniat subjecto, si verò talis causa non occurrat, quærendum est certum aliquod signum connexionis, prædicati cum subjecto. v. g. si velis probare hanc propositionem: *Omnis homo est admirativus*, inquire causam, quare sit admirativus, & invenies, quia est rationalis, unde Rationale erit medium sequentis syllogismi: *Omne rationale est admirativum: omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est admirativus*.

Econtrario si probanda sit propositio negativa, quærenda est causa, quare prædicatum repugnet subjecto, vel ea non occurrente quærendum est illius repugnantiæ signum, v. g. si velis probare hanc propositionem: *nullus lapis est animal*, inquire causam quare, invenies, quia lapis est insensitivus, unde Insensitivum serviet pro medio ad formandum syllogismum: *nullum animal est insensitivum, omnis lapis est insensitivus, ergo nullus lapis est animal*.

Cæteras Regulas difficiliores, quam utiliores compensabit usus & exercitium disputandi.

## ARTICULUS TERTIUS.

## De Principiis Extrinsecis Dirigentibus.

22 **Q**uemadmodum omne opus artificiosum dependet à quibusdam regulis, quæ docent modum, formam artificiosam introducendi in materiam, & simul discernendi verum artefactum à falso. Sic etiam syllogismus velut opus artificiosum intellectuale, dependet ab aliquibus regulis, secundum quas forma syllogistica benè introducatur, in propositiones & terminos, similius syllogismus legitimus ab illegitimo discernatur. Tales Regulae dicuntur Principia extrinseca dirigentia vel Regulativa, & sunt axiomata quædam generalissima, ex quibus deinde plures aliæ (de quibus in Art. 4. & 5.) deducuntur.

23 CONCLUSIO: Principia Generalissima, quæ extrinsecè dirigunt syllogismum, sunt Quatuor, duo Logica, & duo Metaphysica.

Principia Logica (sic dicta, quia respiciunt affirmationem, & negationem quarum consideratio ad Logicam pertinet) sunt: *Dictum de omni*, & *Dictum de Nullo*. Principia Metaphysica (sic dicta, quia respiciunt identitatem & distinctionem, quas considerare proprium est Metaphysico) sunt: *Quæ sunt eadem unius tertio*, sunt *eadem inter se*, & *Quæ non sunt eadem unius tertio*, non sunt *eadem inter se*.

De

Declarantur singula per ordinem. Pri<sup>24</sup>  
 mum principium: *Dictum de Omni*, sensum  
 habet sequentem: quidquid affirmatur  
 de termino *communi accepto distributivè*, affirmatur etiam de omni con-  
 tento sub eodem, v. g. quia de *homine in communi* dicitur, quod sit *rationalis*, etiam  
 de *Petro*, qui *sub homine in communi continetur*, dici debet, quod sit *rationalis*. Unde si  
 quis in hoc syllogismo: *Omnis homo est rationalis*, sed *Petrus est homo*, ergo *Petrus est rationalis*, temerè negaret consequentiam, re-  
 dargui posset per *dictum de omni*, hoc modo:  
*quidquid affirmatur de termino communi distributivè accepto*, etiam affirmatur de omni con-  
 tento sub eodem, sed *homo est terminus communis*, de eoque *distributivè accepto* affirmatur in  
*majore*, quod sit *rationalis*, & *Petrus*, positus  
*in minore*, continetur *sub homine*, ergo etiam  
*rationale de Petro in conclusione affirmari*  
*debet*.

Sensus 2di principii: *dictum de nullo*, hic<sup>25</sup>  
 est: Quidquid negatur de termino *communi*,  
*accepto distributivè*, negatur etiam de omni  
*contento sub eodem*, v. g. quia de *homine*  
*negatur*, quod sit *irrationalis*, & *Petrus* con-  
*tinetur sub homine*, ideo etiam de *Petro* be-  
*nè negatur*, quod sit *irrationalis*, in hoc syl-  
*logismo: Nullus homo est irrationalis, sed Pe-*

*trus est homo, ergo Petrus non est irrationalis.*  
*Quod si quis in dato syllogismo negaret consequentiam, redargui posset eo proportionali modo, quo paulò ante dictum est.*

26 *Sensus 3tii principii: Que sunt eadem unitercio, sunt eadem inter se, hic est: si duo extrema syllogitmi perfectè & adæquate identificantur, vel affirmativè uniuntur in præmissis cum uno tertio, scilicet medio reæte distributo, tunc etiam in conclusione identificantur, vel affirmativè uniuntur inter se, v. g. in hoc syllogismo: Omne animal est sensitivum, omnis homo est animal, ergo omnis homo est sensitivus, quia in Majore: sensitivum perfectè identificatur cum animali, similiter in minore homo perfectè & adæquate identificatur cum animali, hinc etiam in conclusione homo & sensitivum identificantur inter se.*

27 *Advertendum autem ex S Th. I. P. q. 28.  
 a. 3. quod medium sub earatione, sub qua est medium in syllogismo, debeat esse perfectè unum, ut ita sub eadem ratione uniatur utrique extremo, si enim medium in syllogismo acciperetur secundùm diversas rationes, tunc contingere posset, ut sub una ratione participetur ab uno extremo, & secundum aliam rationem ab alio, & ita non habere. rur perfecta identitas extremorum cum medio, consequenter nec extremorum inter se, quæ tamen*

tamen requiritur ad hoc, ut unum extre-  
mum alteri in propositione affirmativâ unia-  
tur.

Sensus 4ti Principii, *Quæ non sunt ea-28  
dem uni tertio, non sunt eadem inter se, non  
ita explicandus est*, quando utrumque ex-  
tremum distinguitur à medio, vel huic *ne-  
gativè unitur in præmissis*, etiam ambo  
extrema in conclusione distinguuntur vel  
*negantur inter se*, hoc enim falsum est imo,  
quia quando ambo extrema in præmissis  
distinguuntur à medio per propositiones *ne-  
gativas*, tunc medium non est ratio, cur  
unum extremum de altero negetur in con-  
clusione, sicut ridiculum esset dicere: quod  
ideo Aristoteles & Cicero non fuerint duo  
Fratres, quia neutrius Pater fuit Hercules.  
2dō. Quia possunt duo extrema distingui  
ab uno tertio v. g. *Petrus & homo à lapide*, &  
tamen *Petrus & homo* identificantur inter se.

Hic igitur est legitimus sensus dicti Prin-  
cipii: Quando ex duobus extremis unum in  
unâ præmissâ perfectè & adæquate identi-  
ficatur, vel affirmativè unitur cum medio,  
& aliud extremum in aliâ præmissâ distin-  
guitur à medio, vele i *negativè unitur*, tunc  
eo ipso duo extrema in conclusione distin-  
guuntur vel *negantur* inter se, nam tunc  
extrema ideo inter se in conclusione distin-  
guuntur

guuntur, quia unum *cum* medio est *idem*, aliud *à* medio est *distinctum*, atque ita *me-*  
*dium* est *causa* talis distinctionis extre-  
*rum*. Sic in conclusione hujus syllogismi,  
*nullum inanimatum est sensitivum*, *lapis est*  
*inanimatus*, ergo *lapis non est sensitivus*, ex-  
*trema lapis & sensitivus negantur inter se*,  
*quia sensitivum in Majore de medio ( inani-*  
*matum ) negatur , & de lapide in minore*  
*medium affirmatur.*

Colliges imò. Quod Principia Logica  
<sup>29</sup> fundentur in Metaphysicis, quia dici de  
*presupponit in*, & *predicari sequitur ad esse*.

2dò. Quod *imum principium Logicum*,  
& *imum Metaphysicum* regulent syllogis-  
mos *affirmativos*. *2dum vero Logicum*, &  
*2dum Metaphysicum* regulent syllogismos  
*negativos*.

30 Dices imò. Si teneret illud principium  
*Metaphysicum, quae sunt eadem uni tertio, &c.*  
ergo sequeretur non valere hunc syllogis-  
mum: *omne brutum est irrationale*, sed *omnis*  
*Leo est brutum*, ergo *omnis Leo est irrationa-*  
*lis*, sed hic syllogismus est bonus, ergo di-  
ctum principium non tenet, P. seq. maj. ad  
hoc ut ille syllogismus esset bonus, deberet  
ex dicto Principio utrumque extreum  
adæquatè identificari cum medio, quod est:  
*brutum*, sed *unum extreum*, scilicet *Leo*,  
*non*

non identificatur adæquatè cum bruto, ergo,  
 P. min. inferiùs non identificatur adæquatè  
 cum superiore, superiùs enim latius patet  
 quām inferius, sed Leo est inferior, & bru-  
 tum est superius, quia brutum etiam prædi-  
 catur de *Equo*, *Cane*, *Cervo*, &c. de quibus  
 Leo non prædicatur, ergo.

R. 1mò ad Prob. seq. D. Maj. deberet  
 utrumque extremum adæquatè identificari  
 cum medio, identitate convertibilitatis N.  
 seq. Maj. identitate prædicatorum essentia-  
 lium C. seq. maj. sed leo non identificatur  
 adæquatè cum bruto, identitate convertibi-  
 litatis C. min. non identificatur adæqua-  
 tè identitate prædicatorum essentialium N.  
 min. Positum principium non exigit, ut  
 extrema cum medio sint convertibilia, & ita  
 unum aequè latè pateat, ac aliud, sed tan-  
 tum, ut illa habeant eadem prædicata essen-  
 tialia, quæ medio conveniunt, & sic res  
 se habet de *Leone*, cui conveniunt omnia  
 prædicata essentialia bruti, licet *Leo* & *bru-*  
*tum* non sint termini convertibiles.

R 2. Aliis terminis ad P. min. D. min.  
 & brutum, ut totum potentiale, est superiùs, C.  
 min, ut totum actuale, est superiùs N. min, er-  
 go leo non identificatur adæquatè cum bruto  
 accepto sub ratione totius potentialis C.  
 coam. Cum bruto accepto sub ratione toti-

us

us actualis, N. coam. Brutum in opposito syllogismo accipitur ut totum actuale in quantum dicit partes essentiales sui constitutivas, quæ eadem sunt in Leone, & propterea Leo adæquatè identificatur cum bruto sub ea ratione, sub qua brutum est medium syllogismi.

31 Dices 2dò. Ergo etiam hic erit bonus syllogismus: *Homo appetit carnem, sed Canis appetit carnem, ergo canis est homo,* P. seq. Quæ sunt eadem unitercio, sunt eadem inter se, sed *canis & homo* in præmissis sunt eadem unitercio, scilicet medio, quod est *appetens carnem*, ergo in conclusione sunt eadem inter se.

R. N. seq. & D. Prob. Quæ sunt eadem unitercio bene distributivo, sunt eadem inter se, C. Maj. quæ sunt eadem unitercio non distributio N. Maj, medium: *appetens carnem*, in dicto syllogismo non distribuitur. Præterea non est idem appetitus carnis in cane & in homine, consequenter medium respectu utriusque extremi non est perfectè unum. Sic etiam de duobus videntibus eundem lapidem, de duobus amantibus eundem hominem &c.

32 Dices 3tiò. Quæ sunt contigua uni Tertio, non sunt contigua inter se, ergo etiam, quæ sunt eadem unitercio, non sunt eadem inter se.

R. Imò, D. ant. Quæ sunt contigua uni tertio

*tertio divisibili*, non sunt contigua inter se,  
**C.** ant, quæ sunt contigua uni tertio planè in-  
*divisibili* **N.** ant. partes enim lineæ in pun-  
*cto indivisibili* se tangunt.

R. 2do **N.** coam, Disparitas est, quia  
 contigua non tangunt medium quoad ean-  
 dem ejus partem, sed secundum partes di-  
 versas, ex tribus enim v. g. annulis catenæ  
 primus tangit annulum medium, quoad  
 unam partem, & tertius tangit eundem an-  
 nulum medium quoad aliam partem, atque  
 ita medium connectens utrumque annulum  
 extremum non est planè idem & indivisi-  
 ble, econtra quæ sunt eadem unitertio, de-  
 bent huic identificari secundum rationem  
 planè eandem.

#### ARTICULUS QUARTUS.

*De Regulis Generalibus Syllogismorum.*

**Q**uæres. Quænam sint Regulae Generales <sup>33</sup> syllogismorum cujuscunque figuræ?

R. Sequentes

Regula Ima Syllogismus. (loquimur hic  
 utrobius de Categorico) debet constare tri-  
 bus tantum terminis (v. N. 3) quorum qui-  
 libet bis poni debet, scilicet medium in Ma-  
 jore & Minore, majus extreum in majo-  
 re & Conclusione, minus extreum in  
 minore & Conclusione. Censentur au-  
 tem termini multiplicari, non tantum  
 quando ponuntur plures quoad vocem, &

grammaticaliter, sed etiam quando ponuntur plures Dialecticè, & quoad acceptiōnem, id est, quando terminus aliquis in syllogismo est æquivocus, quando mutatur suppositio, vel alia terminorum proprietates, v. g. *omnis Turca est Mahometanus*, sed *vester canis est Turca*, ergo *vester canis est Mahometanus*, syllogismus non valet, quia constat quatuor terminis, *Turca* enim hic accipitur æquivocè, & secundūm diversas significaciones.

34 Dices. Syllogismus in Darii. *Omnis homo est vivens*, sed *Petrus est homo*, ergo *Petrus est vivens*, constat quatuor terminis, sed hic bene concludit, ergo syllogismus constans quatuor terminis bene concludit, P. Maj. syllogismus, in quo mutatur suppositio alicujus termini, constat quatuor terminis, sed in illo syllogismo in Darii mutatur suppositio alicujus termini, scilicet: *homo*, qui in Majore supponit distributivè, in Minore verò determinatè, ergo.

R. ad P. min. D. Maj. Syllogismus, in quo mutatur suppositio proveniens à signis logicis constat quatuor terminis N. maj. in quo mutatur suppositio non proveniens à signis logicis, v. g. *formalis in materialem*, *simplex in personalem* & *econtra C. Maj.* Potest enim ita quandoque debet in præmissis syllogismi mutari suppositio proveniens à signis logicis

cis, omnis, nullus, &c. ut contingit in syllogismo adducto.

Regula 2da, *Medium*, quod est terminus communis V. N. seq. in unâ saltē p̄missa debet completere distribui, id est accipi pro singulis inferioribus, pro quibus accipi potest. Ratio est, *tum*, quia alias non servantur generalissima principia Logica, secundūm quæ subsumi debet aliquid contentum sub medio distributivè sumpto V. N. 23 *tum* etiam, quia si medium nunquam distribuatur, sed tam in Majore quam in minore sumatur determinatè pro hoc vel illo, jam poterit unum extremum esse idem cum uno determinato ex inferioribus medii, & aliud extremum esse idem cum alio determinato ex inferioribus medii; adeoque extrema cum medio non unirentur perfectè, quod est contrà principia generalissima metaphysica, v. g. *Animal est risibile, brutum est animal, ergo brutum est risibile*, patet conclusionem esse fallam, quia medium non distribuitur, *animal enim in Majore supponit determinatè, pro rationali, & in minore determinatè pro irrationali*, unde extrema syllogismi, *risibile & brutum non uniuntur in p̄missis cum animali perfectè eodem, sed diverso, risibile enim in Majore unitur cum animali determinatè rationali, & brutum in minore unitur cum anima-*

li determinatè irrationali , & hinc non pos-  
sunt in conclusione per affirmationem uniti  
inter se. Ex hac Regula

36 Sequitur, quod syllogismus non debeat  
constare ex puris NB. particularibus, alias  
nihil sequitur NB. vi formæ propter ratio-  
nem datam.

Dictum est 1mò ex puris NB. particulari-  
bus, quia valet syllogismus constans puris  
singularibus, qui vocatur *Expositorius*.

Ratio est, quia medium syllogismi expo-  
sitorii debet esse ita singulare, ut nullam in-  
volvat communitatem, secundum quam  
reipsâ pluribus attribui possit, ut sic extre-  
ma sint perfectè eadem uni tertio, & possint  
in conclusione esse eadē inter se, atque ita  
in syllogismo expositorio servantur Princi-  
pia Metaphysica, Principia autem Logica in  
eo locum non habent propter medium  
singulare.

Dictum est 2dò: Nihil sequitur NB. vi  
formæ, quod enim in signili syllogismo con-  
clusio possit sequi vi materiæ, vel esse ma-  
terialiter bona, pater in hoc : Ali-  
quod animal est rationale, Petrus est ani-  
mal, ergo Petrus est rationalis, quod ipsum  
etiam in aliis pluribus notandum.

73 Dices. Ex una particulari in *Enthymema*-  
te aliquid sequitur vi formæ, ergo etiam ex  
plu-

pluribus particularibus in Syllogismo aliquid sequitur vi formæ.

R. D. ant. Ex unâ particulari *vi unius particularis* aliquid sequitur *vi formæ* in En-thymemate N. ant. *Vi propositionis universalis sub intellectu C.* ant. quod enim ex antecedente : *Petrus est homo*, benè sequatur consequens: ergo *Petrus est rationalis*, pro-venit à Majore universalis: *Omnis homo est rationalis*, quæ in illo Enthymemate impicitè continentur.

Pro intellectu Regulæ 2dæ expendendum est juxta versus: *afferit A &c.* Sequens Schema desumptum ex Regulis Suppositio-nis :

A			Subjectum,
E			Utrumque,
I			Neutrūm,
O			Prædicatum.

Regula 3ta. *Medium* sub ratione medii 38 non debet ingredi conclusionem. Ratio est, tum quia in conclusione tantum debent conjungi vel disjungi ea, quæ cum medio in præmissis conungebantur, aut quorum unum illi con-jungebatur, alterum ab illo disjungebat, conjungi autem; vel disjungi à medio con-venit solis extremis. Tum etiam, quia medium bis possum in præmissis, est argumentum probatiuum conclusionis, unde si medium

poneretur in conclusione, idem probaretur per idem.

39 Dices: Medium ingreditur conclusionem in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal, sed homo albus est homo, ergo homo albus est animal.*

RE Vel N. vel D. ant. Medium sub ea ratione, sub qua est medium, ingreditur conclusionem, N. ant. Sub alia ratione, C. ant. medium enim est terminus incomplexus homo, in conclusione autem ponitur terminus complexus: *homo albus*. Potest etiam medium sub ratione extremi ingredi conclusionem, v. g. *Omnis homo est animal, sed homo est homo, ergo homo est animal*, qui tamen syllogismus dicendus est magis oratio synonyma quam argumentativa.

40 Regula 5ta. *Terminus non distributus in præmissis, non debet distribui in Conclusione.* Ratio est, *Tum quia præmissæ sunt causa conclusionis, effectus autem non potest excedere suam causam.* *Tum etiam, quia in conclusione, non debet plus connecti vel disjungi, quam in præmissis est connexum cum medio, vel disjunctum ab illo, ergo si terminus non distributus sit connexus cum medio, non poterit idem terminus in conclusione distributus connecti cum altero extreto.* Unde peccat sequens syllogismus: *Omnis homo*

*homo est creatura, sed Canis non est homo,*  
*ergo Canis non est Creatura, viuum est, quia*  
*arguitur à non distributo ad distributum, cum*  
*terminus: creatura, qui in Majore supponit*  
*determinate, in conclusione supponat di-*  
*tributivè.*

Dices. In *Disamis* arguitur à non distri**41**  
*buto ad distributum, ut: Aliquis homo est al-*  
*bis, omnis homo est vivens, ergo aliquod vivens*  
*est album, quia medius terminus: homo non di-*  
*stribus in Majore distribuitur in minore.*

R. D. ant. In *Disamis* arguitur à non di-  
*stributo ad distributum in præmissis, C. ant. à*  
*non distributo in præmissis ad distributum in*  
*conclusione N. ant. planum est, quod Regula*  
*intelligitur, de extremis, quæ non distributa*  
*in præmissis, etiam in conclusione distribui*  
*non debent, non autem intendit Regula,*  
*quod si medium in unâ præmissâ non di-*  
*stribuatur, etiam non debeat distribui in*  
*aliâ, hinc enim fieret, ut daretur bonus syl-*  
*logismus, constans medio non distributo,*  
*contrà Regulam zdam.*

Regula 5ta. Ex puris negativis nihil se**42**  
*quitur vi formæ. Ratio est. Quia in omni*  
*syllogismo medium vel cum utroque extre-*  
*mo (si sit affirmatus) vel cum uno (si sit*  
*negativus) conjungi debet, in syllogismo*  
*autem conitante puris negativis, medium*

neutri extremo conjungitur, vel affirmativè unitur, unio enim affirmativa fieri debet in propositione affirmativa, quæ non datur in syllogismo ex puris negativis constante.

43 Dices 1mò. Ex una tantum præmissâ negativâ vi formæ aliquid sequitur, ergo à fortiori ex duabus præmissis negativis.

R. C. ant. N. Coam. disp. est, quia si tantum una præmissa sit negativa, adest altera præmissa affirmativa, per quam salvatur 2duin Principium Metaphysicum, cum tunc unum extremum in præmissâ affirmativâ identificetur cum medio, & alterum extremum in præmissâ negativâ distinguitur à medio, ut sic extrema in conclusione distinguantur inter se, dum verò ambæ præmissæ sunt negativæ, dictum principium non servatur, quia neutrum extremum cum medio identificatur.

44 Dices 2dò. Ex puris affirmativis vi formæ benè infertur conclusio affirmativa, ergo etiam ex puris negativis conclusio negativa.

R. Ex dictis disparitatem esse, quia si præmissæ sint affirmativæ, servatur 1mum Principium Metaphysicum, cum in illis ambo extrema sint eadem uni tertio scilicet medio, ergo benè intertur identitas ambonum extremonum inter se, ubi autem præmis-

missæ ambæ sunt negativæ, non servatur secundum Principium Metaphysicum, per quod tamen boni syllogismi negativi regulari debent.

Dices 3tiō. Dantur syllogismi, qui constat ex puris negativis, & tamen bene concludunt, tales sunt 1mus: *Qui non credit, non salvatur*, sed *Iudeus non credit, ergo Iudeus non salvatur*. 2dus: *Nullus homo est Canis, arbor non est homo, ergo arbor non est Canis.*

R<sub>2</sub>. Ad 1. Syllogismum, Negando, quod constat ex puris negativis, minor enim quidem apparet negativa, ut tamen syllogismus teneat, debet esse affirmativa, & ly: *non credit, non debet esserti neganter, sed infinitanter.*

Ratio est, quia debet esse idem medium, in Majore & minore, medium autem in Majore sic explicari debet. *Non credens, nam propositio, in quā est copula minus principalis cum relativo, si stet pro medio syllogismi, exponi debet per participium, cui æquivalet, ergo minor hoc modo formanda est; sed Iudeus est non credens, ubi minor est affirmativa.*

Deinde totum medium est: *is, vel homo, qui non credit, unde minor sic ponatur: sed Iudeus est homo, qui non credit, ubi iterum*

minor est affirmativa, quia affirmatio vel negatio propositionis sumitur penes copulam principalem. Cæterum, si non concedatur locus simili expositioni, negandum est, quod syllogismus vi formæ benè concludat.

R. Ad 2dum syllogismum, quod consequentia sit bona materialiter, non formaliter.

46 Regula sexta. *Conclusio sequi debet debiliorem partem*, tam quoad quantitatem; quam quoad qualitatem, id est: si una præmissa sit vel particularis, vel negativa, etiam conclusio debet esse particularis vel negativa. Ratio est. *Tum*, quia universalitas & affirmatio sunt de linea boni, *bonum*, autem est ex integrâ causâ. Particularitas vero & negatio sunt de linea mali, *malum* autem ex quo cunque defectu, ergo ad hoc, ut conclusio universalis vel affirmativa inferatur, utraque præmissa debet esse universalis vel affirmativa, ut vero inferatur conclusio particularis vel negativa, sufficit, unam præmissam esse particularem vel negativam. *Tum* etiam, quia, si in primis una præmissa esset particularis, & inferretur conclusio universalis, procederetur à non distributo ad distributum. Deinde, si una præmissa sit negativa, jam in illâ unum extremum dis-

disjungitur à medio , cui alterum extreum  
in alterā p̄m̄tsā conjungitur , & hinc  
juxta 2dum principium metaphysicum in  
Conclusio ex euema debent disjungi ter  
se , quod sic per propositionem negativam .

Dices . Hic est syllogismus Aristotelis :  
*Omnes stelle , quæ non scintillant , sunt prope  
nos , planetæ non scintillant , ergo planetæ sunt  
prope nos , sed in illo syllogismo minor est  
negativa , & conclusio affirmativa , ergo si  
una p̄missarum sit negativa , potest sequi  
conclusio affirmativa .*

R. Ex N. 45. Prædicatum minoris sumitur  
infinitanter : Planetæ sunt non - scintillantes ,  
vel pro prædicato ponendum est totum me-  
dium : Planetæ sunt stelle , quæ non scintillant ,  
quæ utraque minor est affirmativa .

## ARTICULUS QUINTUS.

*De Regulis specialibus syllogismorum.*

**Q**uæres Quænam sint Regulæ speciales  
syllogismorum .

R. Regulæ speciales syllogismorum , sic 48  
dictæ , quia (dux) assignantur pro singulis  
figuris , fundantur in his generalibus : Me-  
dium debet in unâ saltē p̄missâ distribui .  
Non debet terminus distribui in conclusione ,  
non distributus in p̄missis .

M 5

Pro

Pro Regulis specialibus in eae Figure est  
versus :

*Nec minor est negans, nec Major particu-  
laris.*

Sensus est : Major in syllogismis primæ  
Figure debet esse universalis, & minor af-  
firmativa.

Ratio primæ partis est, quia si ma-  
jor esset particularis, medium non distribue-  
retur in præmissis, non in Majore, cum in  
illâ medium sit subjectum, quod in proposi-  
tione particulari non distribuitur, nec in mi-  
nore, cum in illa medium sit prædicatum,  
quod in propositione affirmativâ (talis de-  
bet esse minor) supponit determinatè. Pro  
exemplo sit: *aliquid animal est homo, omnis  
equus est animal, ergo alius equus est homo.*

Ratio secundæ partis est, quia si minor esset  
negativa, major deberet esse affirmativa  
(cum ex puris negativis nihil concludatur)  
& conclusio negativa, in qua distribueretur  
*majus extreum, in majore non distributum.*  
Pro exemplo sit: *Omnis homo est animal,  
nullus asinus est homo, ergo nullus asinus est  
animal.*

49 Regula hæc utraque intelligenda est de  
modis directis primæ figure, quia in Fapesmo  
& Frisesom, qui sunt modi indirecti alter  
contingit, nam in Fapesmo minor est negati-  
va,

va, quin tamen lequatur distribui *termi-*  
*num* in conclusione, non distributum in  
*præmissis*; patet in hoc syllogismo: *Omnis*  
*homo est vivens, nullus lapis est homo, ergo*  
*aliquid vivens non est lapis.* *Ubique terminus:*  
*lapis in minore & in conclusione distribui-*  
*tur.* Similiter in *Friesom.* Major est particu-  
*latis, & tamen medium distribuitur in al-*  
*terâ præmissâ.* v. g. *Aliqua arbor est sub-*  
*stantia, nullus homo est arbor, ergo aliqua sub-*  
*stantia non est homo, ubi medium: Arbor di-*  
*stribuitur in minore.*

Pro Regulis specialibus 2dæ Figuræ est 50  
 versus :

*Una negans præeat, nec Major sit specialis.*

Sensus est: in syllogismis 2dæ Figuræ, una præmissa debet esse negativa, & major universalis. Ratio primæ partis est. Quia in 2dâ figurâ medium & in majore & in minore est prædicatum, si ergo ambæ præmissæ essent affirmativæ, medium non distribueretur. v. g. *Omne sensitivum est ani-*  
*matum, omnis planta est animata, ergo*  
*omnis planta est sensitiva.* Ratio 2dæ par-  
 tis est. Quia si in syllogismo 2dæ figuræ  
 major esset particularis, majus extreum  
 non distributum in majore, distribueretur  
 in conclusione. v. g. *Aliqua substantia est*  
*Angelus, nullus homo est Angelus, ergo nul-*  
*lus homo est substantia.*

Pro

51 Pro Regulis specialibus 3tiæ Figure est  
versus :

*Sit Minor Affirmans, Conclusio particularis.*

Sensus patet : In syllogismis 3tiæ Figuræ minor debet esse affirmativa, & conclusio particularis. Ratio primæ partis est ; quia si minor esset negativa, major deberet esse affirmativa, & conclusio negativa, in qua distribueretur *majus extremum*, in majore non distributum. v. g. *Omnis homo est vivens, nullus homo est brutum, ergo aliquid brutum non est vivens.* Ratio 2dæ partis eadem est, quia, si conclusio esset universalis, *minus extremum*, non distributum in minore, distribueretur in conclusione. v. g. *Omne animal est vivens, omne animal est corporeum, ergo omne corporeum est vivens.*

## ARTICULUS SEXTUS.

*De Principiis extrinsecis perficientibus.*

52 Per Principia extrinseca perficientia intelliguntur illa, quibus alii syllogismi imperfectiores perficiuntur & elucidantur, cum enim soli quatuor syllogismi directi 3tiæ figuræ : *Barbara, Celarent, Darii, Ferio*, omnino perfectè & evidenter etiam quo ad nos concludant; in ceteris vero omnibus

nibus non ità clare & perfecte appareat bonitas consequentiæ, ideo inventum est à Dialecticis artificium, illorum syllogismorum consequentiam, quoad se bonam & perfectam, magis quoad nos declarandi, & eos ad quatuor modos directos primæ figuræ reducendi, quod artificium proinde vocatur *Reductio*, quæ est translatio syllogismi imperfecti ad perfectum, & ità ferè se habet in arte syllogistica, sicut probatio per Novenarium in Arithmeticâ

*Reductio* triplex est, *Ostensiva*, per impossibile, & *Expositoria*. 53

*Reductio Ostensiva* est translatio syllogismi imperfecti ad perfectum per propositionem, vel conversionem, vel transpositionem, & dicitur *Ostensiva*, quia ostendit, quod bonitas consequentiæ per clarorem præmissarum coordinationem ex principiis universalibus probari possit.

*Reductio*. Per impossibile est translatio syllogismi imperfecti ad perfectum per oppositionem contradictionis, ità ut ex contradictioni conclusionis negatæ & unâ præmissatum iam concessâ, in modo directo primæ figuræ deducatur contradictioni vel contraria alterius præmissæ etiam concessæ. Dicitur autem *Reductio*, per impossibile, quia concessis præmissis temerè negans

gans consequentiam talis syllogismi bene formati, cogitur concedere duas propositiones, vel immediate vel mediately contradictiones ut simul veras.

Reductio Expositoria est Translatio syllogismi imperfecti ad perfectum per mutationem medii communis in medium singulare, inferendo eandem conclusionem in syllogismo singulari vel expositorio, quæ anteà erat illata in syllogismo communis.

54 Quæres imò. Quomodo fiat Reductio ostensiva,

R. Ut fiat Reductio ostensiva.

Notentur imò literæ, B. C. D. F. quæ sunt initiales omnium modorum, & indè dignoscitur, ad quem modum perfectum imperfectus ostensivè reduci debeat, modulus enim imperfectus incipiens à B. reducitur ad Barbara, à C. ad Celarent, à D. ad Darii, ab F. ad Ferio. Unde

*BaraliP ad Barbara, excipe BaroCo  
& BoCardo, de quibus paulò infrà.  
CelanteS, CeSare, CaMeStreS ad  
Celarent,  
Dabitis, DaraPti, DiSaMiS, Da-  
tiSi, ad Darii.  
FaPeSMo, FriSeSoM, Festino, Fe-  
laPton, Ferison, ad Ferio.*

Reducuntur

Nò.

Notentur 2dò consonantes S. P. M. C. 55.  
quarum significationem indicant sequentes  
versus :

*S vult simpliciter verti, P verò per accid.*

*M vulti transponi, C per impossibile duci.*

**S**ensus est: *S vult simpliciter verti*, propositio designata per vocalem, quæ literam *S* immediatè antecedit, debet converti simpliciter, ut : Major (Ce) in *CeSare*. *P verò per accid* Propositio designata per vocalem, quæ literam *P* immediatè antecedit, converti debet per accidens, ut : Minor (*raP:*) in *DaraPti*, item conclusio (*liP:*) in *BaraliP:* quamvis enim ex Regulis conversionis propositio particularis affirmativa non convertatur per accidens, quia tamen conclusio in *BaraliP* facta est ex propositione universalí affirmativâ in *Barbara*, quæ per accidens converta est in particularem affirmativam, hinc dum *BaraliP* ostensivè reducitur in *Barbara*, conclusio illius exigit ope conversionis per accidens, redite ad universalitatem, undè conclusioni in *BaraliP* unicè à Dialecticis id privilegii datum est, ut per accidens convertatur ex particulari affirmativâ in universalem affirmativam.

*M vult transponi*, si dictio symbolica, id est, designans modum, contineat literam

ram *M*, in quacunque ex tribus syllabis pos-  
sitam, tunc *præmisse* debent transponi,  
ut: si in primâ vel secundâ syllabâ dictionis  
sit litera *P* vel *S*, priùs propositio per syl-  
labæ illius vocalem indicata convertatur,  
prout consonans *P* vel *S* exigit, & deinde  
major ponatur loco minoris, & minor  
loco majoris, ut mox declarabitur in  
*FaPeSMo*.

*C* per impossibile duci. Si litera *C* inven-  
tiatur in mea<sup>to</sup> dictionis symbolicæ; ut in  
*BoCardo* & *BaroCo*, signum est, modum  
illum non posse reduci ostensivè.

56 Pro Praxi Reductionis Ostensivæ sit  
Syllogismus in

*Fa* Omnis homo est animal,  
*PeS* Nullus equus est homo, ergo  
*Alo.* Aliquod animal non est equus.

1mò. Modus *FaPeSMo* incipit ab *F*, unde  
reducitur ad *Ferio*.

2dò. Vocalis *A* in primâ syllabâ imme-  
diatè antecedit literam *P*, unde major debet  
converti per accidens sic: *Aliquod animal*  
*est homo*.

3rdo. Vocalis *E* in 2dâ syllabâ imme-  
diatè antecedit literam *S*, unde minor debet  
converti simpliciter sic: *Nullus homo est*  
*equus*.

4tò.

**4to.** In Dictione *FaPeSMo* ponitur litera *M*, unde præmissæ conversæ debent transponi sic : *Nullus homo est equus*, *aliquid animal est homo*.

**5to.** Ex præmissis sic positis sequitur conclusio, quam datæ præmissæ exigunt, & debet esse eadem, quæ antè erat in syllogismo imperfecto vel reducto, ergo *aliquid animal non est equus*. Habetur itaque totus syllogismus in

**Fe-** *Nullus homo est equus*,  
**ri-** *Aliquid animal est homo, ergo*  
**o.** *Aliquid animal non est equus.*

### MODUS FACILIOR REDUCTIONIS 57 OSTENSIVÆ.

**Primo.** Attende ad literam initialem, ut cognoscas, ad quem modum syllogismus reduci debeat.

**Secundo.** Selige medium & extrema syllogismi reducendi.

**Tertio.** Secundum exigentiam primæ figuræ medium in majore syllogismi reducentis sit subiectum, in minore prædicatum.

**Quarto.** Si præmissam aliquam ex syllogismo reducendo retinere possis, reteine, alias ad faciendam præmissam negativam, combina medium illi extremo, quod medio repugnat, & ad

N

præ-

præmissem affirmativam combina medium illi extremo, quod cum medio connexionem habet, & res erit confecta.

*Pro Praxi sit Syllogismus in:*

Ce. *Nullum vitium est bonum,*

fa. *Omnis virtus est bona,* ergo

re. *Nulla virtus est vitium.*

*Cesare incipit à C, ergo reduci debet ad Celarent.*

Medium syllogismi est: *Bonum*, quod in majore imæ figuræ debet subjici, in minore prædicari. Extrema sunt: *Virtus*, *Vitium*.

Major in Celarent debet esse universalis negativa, pro illa inquire, quodnam ex ambobus extremis medio (*bonum*) repugnet, & invenies: *vitium*. Major: *Nullum bonum est vitium*, minor debet esse universalis affirmativa, & cum talis sit minor syllogismi reducti, in eâque medium (*bonum*) prædicetur, eam retine: *omnis virtus est bona*. Sequitur eadem conclusio, quæ erat antè. *Nulla virtus est vitium.*

Ce. *Nullum bonum est vitium,*

la. *Omnis virtus est bona,* ergo

rent. *Nulla virtus est vitium.*

59 Adverte tamen imò, si factâ reductione secundùm hanc praxin, non inferatur conclusio explicitè eadem, quæ erat in syllogismo reducto, erit tamen eadem implicitè & æqu.

& æquivalenter, quæ explicanda est beneficio conversionis simplicis, quod salvâ bonitate consequentiæ fieri potest & etiam in reductione per impossibile, quandóque fieri debet, ut dicetur infrà, N. 68.) sic Exemplum in

**Dī.** *Aliquis lapis est trahens ferrum,*  
**fa-** *Omnis lapis est materialis, ergo*  
**mis.** *Aliquod materiale est trahens ferrum.*

Reductio fit in

**Da-** *Omnis lapis est materialis,*  
**ri-** *Aliquod trahens ferrum est lapis, ergo*  
**i.** *Aliquod trahens ferrum est materiale.*

Converte hanc conclusionem simpliciter; *aliquod materiale est trahens ferrum*, & est ipsa conclusio syllogismi reducti. Quod idem observandum est circa modos: *Batalip.* *Celantes*, *Dabitis*, & *Camestres*.

Adverte 2dò. Neutrū modū redu 60  
& ionis ostensivæ tenēre in *Baroco* & *Bocardo*.  
Ratio est 1mò. Quia deberent propter literam initialem *B.* ostensivè reduci in *Barbara*, quod fieri non potest, cum *Barbara* habeat tres propositiones universales affirmativas, atque ita exigat identitatem utriusque extremi cum medio, impossibile autem est, ut utrumque extreum in modis *Baroco* & *Bocardo* connectatur per identitatem cum medio, quia in illis sunt duæ propositiones ne-

gativæ, quæ exigunt unius extremi distinctionem à medio in una præmissâ, & amborum extremorum inter se in conclusione. Ratio est 2dò. Quia reductio ostensiva fit per propositionum conversionem aut transpositionem, sed neutra juvat in *Baroco* & *Botardo*, quod *Declaratur*: in primis enim, si in *Baroco* propositiones transponerentur, major fieret particularis, quod est contra Regulam specialem 1mæ figuræ: *Nec Major particularis.* Deinde si juvaret conversio, tunc vel major, quæ est universalis affirmativa, deberet converti per accidens in particularem affirmativam, & sic totus syllogismus constaret puris particularibus. Vel minor, quæ est particularis negativa, deberet converti per contrapositionem, & tunc syllogismus constaret quatuor terminis, duobus finitis & duobus infinitis. Similiter in *Botardo* si propositiones transponerentur, minor fieret particularis negativa, contra Regulam specialem primæ figuræ: *Nec minor esto negans.* Si vero fieri deberet conversio, major converteretur per contrapositionem, & sic sequeretur idem inconveniens, quod in *Baroco*. Aut minor converteretur per accidens, & sic etiam essent puræ particulares.

*Q* 1 Quæres 2dò. Quomodo fiat Reductio per Impossibile.

R. Ad

R. Ad faciendam Redu<sup>c</sup>tionem per impossibile, non attenditur ad literas initiales modorum, nec recurratur ad conversionem præmissarum, neque ad earum absolutam veritatem, ut sit in Reductione ostensivâ, sed procedendum est modo sequente:

*Regula. Ima.* Ut scias, ad quem modum<sup>62.</sup> directum primæ figuræ syllogismus tuus imperfectus reduci debeat, notabis verum:

*phEblfEr - AxIs.* Oblt - tErrAs.

*sphErAmquE - quOt AnnIs.*

In hoc versu ly: *phEblfEr - AxIs*, constat quinque syllabis, & denotat quinque modos indirectos *Imæ Figuræ*.

*Oblt - tErrAs*, constat quatuor syllabis, & denotat quatuor modos *2de Figuræ*.

*sphErAmquE - quOt AnnIs*, constat sex syllabis, & denotat sex modos *3tiæ Figuræ*.

Utrōbique secundūm eum ordinem, quo in versibus: *Barbara*, *Celarent* &c. enumerantur, ità ut unī modo una syllaba correspōdeat.

Præterea in præfatis dictionibus attenden-dum est ad vocales, A, E, I, O, quæ etiam ponuntur in ultimis syllabis modorum directorum *Imæ Figuræ*, *BarbarA*, *CelarEnt*, *DariI*, *FeriO*. Dehinc vide, quænam syllaba ex illis dictionibus phebifer axis &c. modo syllo-gismi reducendi conveniat, & vocalis illius

syllabæ indicabit, quod syllogismus reduci  
debeat ad illum modum directum imæ Fi-  
guræ, qui eandem vocalem habet in ultimâ  
syllabâ vel conclusione. Unde modi im-  
perfecti, quibus convenit syllaba habens vo-  
calem A, reduci debent ad BarbarA. E. ad  
CelarEnt. I ad DariI. O ad Ferio. Juxta  
sequens Schema:

phE - bI - fEr - Ax - Is. Ob - It - tEr - rAs.

**B**aral: Celant: Dabit: Fapes: Friso: Cesa: Gomes: Festi Baro:  
**A**d Celar: Darii: Celar: Barb: Darii: Ferio: Darii: Celar: Barb.

sphE - rAm - quE - quOt - An - nis.

**D**arap: Tolap: Disam: Datis: Bocar: Feris.  
**A**d Celar: Barb: Celar: Ferio. Barb: Darii.

**63** Regula 2da. Cognito modo, ad quem sic-  
ri debet reductio, **C**ontradictoria conclusio-  
nis negatæ in syllogismo reducendo, assu-  
menda est pro unâ præmissâ syllogismi redu-  
centis. Altera præmissa erit una ex duabus in  
syllogismo reducendo concessis. An illa  
contradictoria assumi debeat pro majore,  
vel minore, & quænam ex concessis retinen-  
da sit, docent sequentes versus:

**64** Pro quinque Modis indirectis Primæ Figuræ,  
Major sit minor, ut sit contradic̄tio major,  
Excipe Celantes, in quo convertitur ordo.  
Sensus est: Ut modus indirectus primæ  
Figuræ reducatur per impossibile, retinetur  
sola

sola major syllogismi reducendi (*minore ejus omissâ*) & ponitur pro minore syllogismi reducentis, in quo pro *majore* erit *contradic̄toria* conclusionis antea negatæ.

Sed ut reducatur *Celantes*, retinetur sola minor syllogismi reducendi (*Majore ejus omissâ*) & ponitur pro *Majore* syllogismi reducentis, cuius minor est *Contradic̄toria* conclusionis antea negatæ. Exceptionis Ratio est, quia conclusio in *Celantes* est universalis negativa, & ejus *contradic̄toria* est particularis affirmativa, quæ si poneretur pro *Majore* reducentis, contra Regulam Generalem primæ Figuræ *Major* esset particularis.

Pro quatuor modis 2dæ Figuræ. 65

*Servat Majorem, variatque secundam minorem.*

Sensus est: Ut reducatur modus 2dæ Figuræ, retinetur *Major* syllogismi reducendi, & omittitur ejus *minor*, cuius loco in syllogismo reducente assumitur *Contradic̄toria* conclusionis negatæ.

Pro sex modis 3tiæ Figuræ.

*Tertia majorem variat, servatque minorem.* 66

Sensus est: Ut reducatur modus 3tiæ Figuræ, servatur *minor* syllogismi reducendi. & omittitur ejus *Major*, cuius loco in syllogismo reducente ponitur *contradic̄toria* conclusionis negatæ.

*Regula 3tia.* Ex præmissis sic dispositis, in

N 4

syllo-

syllogismo reducente inferenda est conclusio. NB. vel mediatae vel immediate contradictoria illius præmissæ, quæ est omissa. Scilicet, dum reducitur syllogismus imperfectus in 1<sup>æ</sup> & 2<sup>æ</sup> Figuræ: inferenda est Contradictoria minoris omissæ. Dum reducitur Celantes, & syllogismus 3<sup>æ</sup> Figuræ, inferenda est Contradictoria majoris omissæ, cumq; propositionem jam omissam Adversarius anteà concesserit, & etiam propter evidentem bonitatem consequentiæ in modis directis 1<sup>æ</sup> Figuræ, cogatur propositionem in reducente illatam concedere adgitur ad concedenda duo contradictoria, tanquam simul vera. Unde.

68 Colliges, & supra tactum est, quod in Reductione per impossibile non attendatur, an propositiones sint absolute veræ; sed ex vi contradictionis, Adversarii bonam consequentiam negantis temeritas confundatur.

Dicitum est: Conclusio. NB. vel mediatae vel immediate contradictoria, quia dum reducitur Baralip, aut Fapesma, item Darapti & Felapton, non infertur quidem immediate ipsâ contradictoria propositionis anteà concessæ, sed ejus contraria, attamen ex veritate duarum contrariarum sequitur veritas duarum contradictoriarum, & si propositio

positio contraria, quæ est subalternans vel universalis, v. g. affirmativa, sit vera, pariter veræ erunt omnes subalternatæ vel particulares affirmativæ sub universali contentæ, ut dictum est *de Oppos.* N. 9.) quarum quælibet propositioni universali negativæ opponitur contradictoriæ. Proinde cum in dictis modis reducendis immediatè inferatur contraria unius propositionis concessæ; mediatè infertur ejus contradictoria.

Advertendum etiam. Si in reducente<sup>69</sup> inferatur proposicio indirectè contraria vel contradictoria propositionis omissæ, recurrentum est ad conversionem simplicem propositionis illatae, & mox apparebit oppositio directa.

*Pro. Praxi sit;*

*1mō.* syllogismus indirectus 1mæ Figuræ, in-

Ba- *Omne animal est vivens.*

ra- *Omnis equus est animal, ergo*

lip. *Aliquod vivens est equus.*

Si negetur consequentia hujus syllogis-  
mi; sic procede:

*Ex Regulâ 1mâ,* modus Baralip. (qui est primus in ordine modorum indirectorum) habet sibi correspondentem syllabam phE in Phœbifer. Ex modis directis primæ Figuræ, vocalem E in 3tiâ syllabâ habet Celarent, ergo Baralip, reduci debet ad Celarent.

N 5

*Ex*

*Ex Regula 2da Versu Imo, Contradictoria negatæ Conclusionis ponitur pro majore sic: Nullum vivens est equus. Minor deinde omittitur, & major præfati syllogismi ponitur pro minore, sic: sed omne animal est vivens.*

*Ex Regula 3tiâ infertur conclusio hæc: ergo nullum animal est equus, & erit syllogismus in:*

Ce. *Nullum vivens est equus,*  
la- *Omne animal est vivens, ergo*  
rent. *Nullum animal est equus.*

Hæc conclusio convertitur simpliciter: *Nullus equus est animal, & habetur contraria minoris antea concessæ. Ex istâ propositione universalî negativâ sequitur particulatis negativa: aliquis equus non est animal,* Hæc verò est contradictoria minoris in *Beralip. concessæ. Dum ergo in hoc syllogismo reducente Adversarius non potest negare majorem, cum sit contradictoria conclusioni negatæ; duæ autem contradictoriz non possint esse simul falsæ, nec potest negare minorem, quæ erat major antè concessa, nec potest negare consequentiam, quæ est evidenter bona; debebit concedere duas contradictorias, ut simul veras.*

## 2dō. syllogismus in :

71

Ce- Nullum vivens est cadaver,  
 lan- Omnis homo est vivens, ergo  
 tes. Nullum cadaver est homo.

Hic modus est 2dus inter indirectos imæ  
 Figuræ, eiq; correspondeat b1 in phebifer, er-  
 go reducitur ad Darii.

*Ex versu 2do, omittitur major, & ejus  
 loco ponitur minor præcedens: Omnis homo  
 est vivens. Contradictoria prioris conclu-  
 sionis ponitur pro minore: Aliquod cadaver  
 est homo, infertur: ergo aliquod cadaver est  
 vivens: & est syllogismus in:*

Da. *Omnis homo est vivens,*  
 ri. *Aliquod cadaver est homo, ergo*  
 i. *Aliquod cadaver est vivens.*

Conclusio convertitur simpliciter: ali-  
 quod vivens est cadaver, & est contradic-  
 toria majoris antea concessæ.

## 3tio syllogismus 2dæ Figuræ, in :

72

Ba- *Omnis perjurus est sacrilegus,*  
 ro. *Aliquis testis non est sacrilegus, ergo*  
 co. *Aliquis testis non est perjurus.*

Huic modo correspondet syllaba: rAs,  
 in: Terras, ergo reducitur in Barbara.

*Ex versu 3tio Regule 2dæ, servatur Major:  
 Omnis perjurus est sacrilegus. Loco minoris  
 ponitur Contradictoria conclusionis ne-  
 gata: Omnis testis est perjurus. Infertur con-  
 clusio*

clusio : ergo omnis testis est sacrilegus, quæ est contradictria minoris in Baroco concessæ. Habetur itaque syllogismus in :

Bar. *Omnis perjurus est sacrilegus,*  
ba. *Omnis testis est perjurus, ergo,*  
ra. *Omnis testis est sacrilegus.*

73. 4<sup>to</sup>, Syllogismus 3tiae Figuræ, in :

Da. *Omnis statua est figurata,*  
ti. *Aliqua statua est marmorea, ergo,*  
si. *Aliquod marmoreum est figuratum.*  
Huic modo correspondet syllaba : quOt, in : *Quotannis.* Ergo reducitur ad Ferio.

Ex Versu 4<sup>to</sup> Regule 2<sup>da</sup>, omittitur major præcedens, & ejus loco ponitur contradictria conclusionis negatæ : *Nullum marmoreum est figuratum.* Minor servatur, *Aliqua statua est marmorea.* Infertur conclusio : ergo aliqua statua non est figurata, quæ est contradictria prius concessæ majoris, & est syllogismus in :

Fe. *Nullum marmoreum est figuratum,*  
ri. *Aliqua statua est marmorea, ergo,*  
o. *Aliqua statua non est figurata.*

74. MODUS FACILIOR REDUCTIONIS.  
PER IMPOSSIBILE.

1<sup>mo</sup>. Ex versu : *Phebifer-Axis &c.* cognosce, quo syllogismus debeat reduci.

2<sup>do</sup>. Contradictriam conclusionis negatæ

gatæ sume pro una præmissa, pro altera præmissa assume unam ex propositionibus concessis, & quidem illam, in qua est unus terminus prædictæ contradictoriæ, alio tamen loco positus, ut, si ille in contradictionia sit subjectum, tunc in assumpta propositione sit prædicatum, vele contra, & hic terminus erit Medium syllogismi reducentis.

*3tiō.* Præmissam illam, in qua dictus terminus subjicitur pone pro majore, alteram, in qua ille prædicatur, pone pro minore, infer conclusionem modo, ad quem reducis, convenientem, & reduxisti.

*Pro Praxi sic Syllogismus in:*

75

Fes. Nullus *injustus* est *laudabilis*,  
ti. Aliquis *homo* est *laudabilis*, ergo  
no. Aliquis *homo* non est *injustus*.

Habet correspondentem syllabam in *Er*, in: *Terras*, ergo reducitur ad *Celarent*. Assume contradictioniam conclusionis negatæ, & est: *Omnis homo est injustus*. Examina propositiones anteà concessas, & videbis, terminum: *injustus*, in *majore* stare pro *subjecto*, qui in dicta contradictionia est prædicatum. Unde Medium syllogismi reducentis est: *injustus*. Pro ejus *Majore* erit *Major* concessa: Nullus *injustus* est *laudabilis*. Pro *minore* erit contradictionia negatæ conclusionis: *Omnis homo est injustus*. Conclusio  
sic

sic infertur, ut in ea maius extremum (*laudabilis*) prædicetur de minore extremo (*homo*) ergo nullus homo est laudabilis, quæ est contradictoria minori priùs concessæ, & emergit syllogismus in :

Ce. Nullus injustus est laudabilis,

la. Omnis homo est est injustus, ergo  
rent. Nullus homo est laudabilis,

Quæres 3tiò. Quomodo fiat Reductio  
Expositoria ?

76 R. Patet ex dictis N. 53. quod Reductio  
Expositoria ita fiat, ut loco *Medii*, quod est  
terminus *communis*, ponatur terminus *singu-*  
*laris*, & ultrà invariatis propositionibus, in-  
feratur eadem conclusio, quæ antè. Ubi

77 Advert. Imò. Quod hæc Reductio aptis-  
simè fiat in syllogismo 3tiæ figuræ. Ratio  
est, quia in Reductione per expositionem  
*Medium* est terminus singularis, cui connat-  
uralius est subjici, quam prædicari, ergo  
cum in tertiat Figurâ, *Medium* bis subjiciatur,  
in hac commodiùs, quam in aliis Figuris uti  
possimus dictâ Reductione.

78 2dò. Hæc Reductio non fit ad aliquem  
modum perfectum tmæ Figuræ. Ratio est,  
quia syllogismus expositorius, utpote con-  
stans præmissis singularibus, directè ad nul-  
lum modum spectat, licet indirectè pertino-  
at ad illum, ad quem per medium commune

trans-

transferringe potest. Unde etiam sit, ut Reductio Expositoria in tantum dicatur syllogismum imperfectum facere perfectiorem, in quantum eum clarius & velut *ad sensum* expōnit.

Sit Syllogismus in :

**D**i- *Aliquis homo est Logicus,*

**Ia-** *Omnis homo est rationalis, ergo*  
*mis. Aliquod rationale est Logicus.*

**L**oco medii: *homo*, pone terminum singularem: *Petrus*, & ceteris in suo statu reliatis sic argumentare:

*Petrus est Logicus,*

*Petrus est rationalis, ergo*

*Aliquod rationale est Logicus.*

### INFORMATIO TERTIA.

#### De Argumentatione Sophistica.

**S**icut non omne, quod splendet, aurum est, sic non omnis Argumentatio, quæ refert speciem syllogismi, verè syllogismus est. Cum igitur cauto opus sit, ne Philosophia recens animus istis tricis involvatur, ideo has sibi partes Dialectica sumit, ut præscriptis legibus de formando bono syllogismo, designet locos Sophisticos vel modos, qui-  
buss

bus Sophistæ fallacias suas effingere solent,  
atque ita doceat Sophismata non facere, sed  
cognoscere, cognita solvere, evitare.

## ARTICULUS PRIMUS.

## De Locis Sophisticis.

**M**odi Sophisticè arguendi sunt tres. 1<sup>us</sup> *quoad formam*, si nempè non servetur debita dispositio terminorum & propositionum. Deluper egit *Informatio* præcedens. 2<sup>dus</sup>, *quoad voces*, quæ dicitur *Fallacia in Dictione*. 3<sup>tius</sup>, *quoad res vel materiam*, quæ dicitur *Fallacia extra Dictionem*.

**3** Quæres imò. Quot sint *Fallacia in Dictione*. R. Quinque, sequentes:

1<sup>ma</sup> est *Fallacia Æquivocationis*, quæ contingit, quando una vox æquivoca, metaphorica, aut analogia modò sumitur in hac, modò in illâ significatione. Exemplum *Æquivocationis* est: *Sol est causa diei*, aliqua *nota Musica est Sol*, ergo aliqua *nota musica est causa diei*, ubi *Sol* sumitur æquivocè, in *Majore pro planeta, in minore pro tono musicali*. Exemplum *sensus metaphorici* est: *quidquid currit, habet pedes, tempus currit, ergo rempushabet pedes*, ubi *currit*, in *majore sumitur propriè, in minore metaphorice*. Exemplum *sensus Analogici* est: *Omne sanum vivit, medicina est sana, ergo medicina vivit*, ubi *in inā-*

majore : *Sanum*, accipitur pro analogato principali, in minore pro analogato minus principali.

Valet tamen syllogismus, in quo pro medio pónit ut terminus analogus analogiā Proportionalitatis propriæ, hæc enim dicit rationem pluribus intrinsecam, eisque proportionaliter convenientem. V. G. Omne *ENS* est unum, *Petrus* est *Ens*, ergo *Petrus* est unum. Desuper in Log. de Antrepræd.

2da est Fallacia Amphibologie, quæ contingit, quando *integra oratio* duplēm & ambiguū sentū habet. Exemplum est : *Qui haurit aquam cribro, debet esse penes aquam, volens discere sine libro, haurit aquam cribro, ergo volens discere sine libro, debet esse penes aquam, ubi oratio : Haurit aquam cribro, in majore habet sensum literalem, in minore proverbialēm.*

3ta est Fallacia Accentus, & contingit, quando vel variatur syllabarū quantitas, vel alio modo mutantur literæ, ut vox aspirata varietur in non aspiratam, vocalis in diphthongum, vox disyllaba in trisyllabam &c. Exemplum 1mi est : *Qui occidit, moritur, gladius occidit, ergo gladius moritur.* Exemplum 2di est : *Omnis Ara est in templo, Suile est Hara, ergo Suile est in templo.* Exemplum 3ti est : *Omnis Equus*



*Equus est animal hinnibile, Iudex est Equus,*  
*ergo Iudex est animal hinnibile.* Exem-  
 plum 4ti est : *Anglus est natus in Anglia,*  
*Michaël est Angelus, ergo Michaël est natus*  
*in Anglia.* Huc reducitur mutatio unius  
 vocis in duas, vel econtra, talis est in hoc  
 cavillo : *Coloniensis est flagellum, Petrus est*  
*Coloniensis, ergo Petrus est flagellum.*

6 *sta est Fallacia Compositionis & Divisionis.*  
 1ma fit, quando à sensu diviso vero proce-  
 ditur ad sensum compositum falsum. 2da con-  
 tingit, quando à sensu composito vero pro-  
 ceditur ad sensum divisum falsum. Exem-  
 plum prioris est : *Duo & Tria sunt par &*  
*impar, quinque sunt Duo & Tria, ergo*  
*quinque sunt par & impar, ubi Duo & Tria*  
*in majore sumuntur in sensu diviso, in mi-*  
*nore vero sumuntur in sensu composito.*  
 Exemplum posterioris est : *Implicitat cur-*  
*rentem sedere, Petrus est currens, ergo im-*  
*plicat Petrum sedere, ubi in majore Currere*  
*& Sedere habent sensum compositum, in*  
*minore autem & conclusione sumuntur in*  
*sensu diviso. V. de Propos. N. 30.*

6 *sta est Fallacia Figuræ Dictionis, &*  
 contingit, quando per tolēcismum transitur  
 ab uno genere grammaticalī ad aliud, item,  
 quando transitur de uno ad aliud prædica-  
 mentum. Exemplum 1mi est : *Omnis ho-*  
mo

mo est sensitivus, mulier est homo, ergo mulier est sensitivus. Exemplum 2di est : Quidquid heri emisti, hodie comedisti, carnem crudam heri emisti, ergo carnem crudam hodie comedisti. ubi ly : Quidquid, in maiore accipitur absolute, pro sola substantia rei emptae, in minore verò & conclusione accipitur etiam pro ejus qualitate, sive pro carne, affecta cruditate. Idem vitium est in hoc sophismate Hæreticorum : Quod Christus in ultimâ Cœnâ sumpxit in manus, hoc dedit Discipulis, panem sumpxit in manus, ergo panem dedit discipulis, & solvitur, vel negando coam (propter fallaciam figuræ dictioñis) vel hac distinctione : quod Christus sumpsit in manus, hoc, quoad accidentia, dedit Discipulis, C. maj. hoc quoad substantiam, N. maj. & C. min. dist. cons. ergo panem quoad accidentia dedit Discipulis, C. coam. panem quoad substantiam, N. coam. Christus enim dedit Discipulis panem consecratum, in quo non manet substantia panis, sed sola ejus accidentia, ut Fides docet.

Quæres 2dò. Quot sunt Fallacie ex gratia dictioñem ?

Rz. Octo, sequentes :

Ima est Fallacia Accidentis, quæ contingit, quando id, quod convenit accidenti,

denti, dicitur convenire subjecto accidentis. Ubi Accidens accipitur in *lato* sensu pro omni eo, quod aliquo modo vel realiter, vel ratione distinguitur à subjecto. Exemplum est: *Risibile est proprietas, homo est risibilis*, ergo *homo est proprietas*, ubi ly: *proprietas*, in majore attribuitur accidenti proprio hominis, & in conclusione, illius accidentis subjecto, sc. homini. Ad hanc fallaciam spectant sophismata, quæ peccant ex mutatione suppositionis, aut procedunt à non distributo ad distributum.

9. 2da est Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, & coniungit, quando abeo, quod rei convenit cum addito, vel cum restrictione aut diminutione, sit argumentatio ad id, quod convenit rei absolute. Exemplum est in his: *Est homo mortuus, ergo est homo. Natura humana Christi est creata, ergo Christus est creatura*, ubi in antecedente Christus sumitur cum limitatione ad naturam humanam, in consequente autem absolute pro supposito d vi no. *V. de Diminut. N. 46.*

10. Adverte præterea, quod à termino, supra quem cadit restrictio vel diminutio, non valeat argumentum ad eundem terminum absolute sumptum, valeat tamen à ter-

termino restringente ad eundem terminum ab soluè acceptum, v. g. *Est Homo Mortuus,* ergo *est Mortuus.* Ad prædictam fallaciam, pertinet transitus à sensu *accommode* ad *absolutum*, v. g. *Quidquid non amisisti, adhuc habes, cornua non amisisti, ergo cornua adhuc habes,* ubi major vera est tantum in sensu *accommode*, de eo, quod *non amisisti,* & aliquando *habuisti.*

3ia. Fallacia est *Ignorantiae Elenchi*, in II quâ Sophista aliquid infert, quod apparet contradictorium propositioni concessæ; & tamen revera contradictorium non est. Exemplum est in his: *Christus ut homo est passibilis,* ut Deus non est passibilis, sed esse passibile & non esse passibile sunt *contradictoria*, ergo de Christo verificantur *contradictoria*. Item: *Homo, in quantum animal, sentit;* in quantum rationale, non sentit, sed sentire & non sentire sunt *contradictoria*, ergo de homine verificantur *contradictoria*. Fallacia est, quia in primo Exemplo, *esse passibile*, & *non esse passibile*, non cadunt tupta idem secundum idem, nam *esse passibile* dicitur de Christo secundum naturam humanam; *non esse passibile* dicitur de Christo secundum naturam divinam. In altero Exemplo sentire & non sentire cadunt tupta diversas formularites ejusdem hominis, ut audies in

Logicā , consequenter neutrobiique sunt contradictoria , cum contradic̄tio debeat esse affirmatio & negatio ejusdem , de eodem , secundūm idem , sumptum codem modo , & in iisdem circumstantiis.

**12** 4ta. Fallacia est *Petitio Principii*, quæ contingit , quando idem probatur per idem , vel per Synonymiam . Exemplum est in his : *Anima non potest mori , ergo est immortalis . Caro suilla nutrit , ergo lardum nutrit . ubi*

**13** Advertendum tñò , pro praxi inter disputandum , quod s̄pē fiat , ut Arguens ad cludendam solutionem Respondentis , clamet : *Hec solutio est Petitio Principii , datur pro responsione ; quod est in questione , v. g. dum Opponentī contra Præmotionem Physicām : Voluntas Physicè Præmota , est determinata ad unum , ergo non est libera , Thomista responder ; D. ant est ad unum determinata per modum liberi C. ant. per modum Naturæ N. ant. & Coam. Reclamat Adversarius ; Petitur Principium ! sed falsum est , Responsio enim deduxta ex fundamento , per quod Thesis defendenda sufficienter est probata , non est Principii Petilio ; sed Possessæ Veritatis Declaratio .*

**14** 2dò. Non semper est *Petitio Principii* , quando pro medio syllogismi assumitur *Definitio* , ad probandum aliquid de *Definito* ,

v. g. in hoc sylllogismo: Omne animal rationale est risibile, homo est animal rationale, ergo homo est risibilis, non petitur principium, cum assumatur definitio hominis pro medio, ad probandum de homine proprietatem, ab ipsâ hominis naturâ (quam Definitio declarat) profluente. Ceterum, si definitio assumeretur, ad probandum de homine aliquod accidens commune vel extraneum naturæ hominis, tunc benè diceretur principium peti. v. g. Animal rationale est album, homo est animal rationale, ergo homo est albus.

5ta. Fallacia est Termini antecedentis & 15 Consequentis. Per terminum Antecedentem intelligitur terminus inferior vel minus latè patens. Per terminum Consequentem intelligitur terminus superior vel latius patens. v. g. animal est terminus consequens, & superior homine, homo est terminus antecedens, & interior animali.

Committitur hæc Fallacia, 1mò, quando ex termino consequente, per affirmationem infertur terminus antecedens, ut: est animal, ergo est homo. 2dò, quando ex termino antecedente, per negationem infertur terminus consequens, ut: non est homo, ergo non est animal, quasi homo & animal essent termini convertibiles, in quibus ab affirmatione vel

negatione unius, arguere licet ad affirmacionem vel negationem alterius. Unde patet in hoc syllogismo: *Qui dicit Petrum esse animal, dicit verum; qui dicit Petrum esse brutum, dicit eum esse animal, ergo qui dicit Petrum esse brutum, dicit verum:* committi fallaciam consequentis, cum ex eo, quod Petrus sit animal, inferatur, quod sit brutum. Quamvis adhæc syllogismas in eo peccet, quod medium non distribuatur, si enim *animal* in majore accipiatur distributivè, pro omnianimali, major est falla.

**16** 6ta. Est Fallacia non Causæ, ut Causæ, & contingit, quando effectus attribuitur aliqui rei, tanquam Causæ, quæ ramen non est causa vera & per se, licet possit esse causa per accidens. Exemplum est: *Quod est causa hæresis, perniciosum est, scientia est causa hæresis, ergo scientia est pernitsiosa,* ubi scientia adducitur pro causa hæresis, cum ramen non scientia; sed arrogans presumptio & abusus scientiæ hæresin excitat.

**17** 7ma. Est Fallacia plurium Interrogationum instar unius, & contingit, quando sophista ad plures interrogaciones dari petit unam responsem, v. g. si querat, *an homo & lapis sit animal,* & respondeatur affirmativè, inferet, ergo *lapis est animal.* Si respondeatur negativè, inferet, ergo *homo non est animal.*

Du.

Duplex igitur quæstio solvenda est duplii responso: *Homo est animal, & lapis non est animal.*

8va Est Fallacia Disjunctiva Contradic<sup>io</sup>nis, & contingit, quando in syllogismo disjunctivo pro Majore ponuntur duo membra directe contradictoria, & deinde, propter defectum debiti medii, ex veritate unius contradictionis in minore, interatur veritas alterius contradictionis, posita in conclusione, quod tamen est absurdissimum, cum enim duo contradictionia non possint esse simul vera; multo minus veritas unius contradictionis cautate poterit alterius veritatem.

Exemplum est: *Vel Petrus est homo; vel non est homo, sed Petrus est homo, ergo Petrus non est homo.* V. N. seq. & Soph. iomum.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### De Modo Respondendi ad Fallacias.

**M**odo triplici ad Fallacias responderi potest. In modo servata eadem vitiosa dispositione Retorqueri potest sophisma in sophistam. v. g. si quis argueret per fallaciam disjunctive contradictionis: *vel datur Ens Rationis vel non datur, sed datur Ens Rationis, ergo non datur,* sic potes retorquere, vel argumentum in Adversarium vertere: *Vel sophista argumentans est homo; vel non est ho-*

*mo, sed est homo, ergo non est homo.* Hoc tamen modo Respondendi, quia sapit confidentiam, parcè & non nisi contra linguosum Argumentantem utendum est.

20 2dō. Præmissis concessis; vel transmis-  
sis, velut ad emendandum syllogismum &  
eruendam veritatem impertinentibus, Ne-  
gatur Consequentia, & ostenditur vitium syl-  
logismi. PRO PRAXI tamen: Cavendum est  
in primis, ne lingua deproperet. Negare  
Coam, & postmodum hæreat in vicio elo-  
quendo. Facilè fit, ut advertatur syllogis-  
mum esse vitiosum, & non statim deprehen-  
datur vitium, quo passu ad distinctionem  
recurri præstat. Deindè doctis & modera-  
tis opponentibus non facilè neganda est  
syllogismi Coa, neque etiam tunc, si vitium  
irrepat præter Arguentis intentionem, eo  
enim passu humanitas Defendentis exigit  
potius opportunam distinctionem adhiberi,  
quam inurbanâ temeritate Negatâ Coâ Op-  
ponenti insultari. Quod si Defendens ad-  
vertat, sophisma aut studio confundendi,  
aut exercitii gratiâ proponi, Coam neget,  
vitium assignet.

21 3tiō. Commoda Distinctio applicabitur  
distinguendis duabus propositionibus syllo-  
gismi, quod ipsum si fieri non possit (ut in  
variis sophismatibus docebit usus, atque  
exim-

exinde sèpissimè cognoscitur, syllogismum esse sophisticatum) ad 2dum Respondendi modum recurreri oportebit.

## PRO EXERCITIO.

Ponuntur & solvuntur quadam  
Sophismata.

**P**rimum: *Vir est major Puerō, sed vir est monosyllabum; Puer est disyllabum, ergo monosyllabum est majus disyllabo.*

R<sub>e</sub>. Mutari suppositionem, quia *Vir & Puer* in Majore supponunt formaliter, pro rebus vel personis, ad quas significandas illa nomina sunt imposita. In minore supponunt materialiter pro nominibus ipsis.

**2dūm:** *Hic canis est pater, hic canis est tuus, ergo hic canis est tuus pater.*

R<sub>e</sub>. Commitit fallaciam Amphibologiae, cum *tuus* in minore sumatur possessivè, in conclusione effectivè, pro causâ tuī producente. Præterea medium: *hic canis* ingreditur conclusionem.

**3tiūm.** *Quod ego sum, tu non es, ego sum homo, ergo tu non es homo.*

R<sub>e</sub>. Procedi à non distributo ad distributum, quia: *homo*, prædicatum minoris affirmatiæ, supponit determinatè, & prædicatum

tum conclusionis negativæ, supponit distri-  
butivè.

**ibidem:** Quod ego habeo, haec tibi do, ego ha-  
beo oculos, ergo tibi do oculos

**R.** Velly: quod, in Majore supponit pro  
aliquo, & medium non distribuitur, minor  
enim sic disponenda est: sed oculi sunt ali-  
quid, quod ego habeo.

**Velly:** quod, in Majore supponit pro om-  
ni, & sic in sensu absoluto falsa est, & vera  
quidem in sensu accommodo, si intelligatur  
omne, quod habeo, & tibi dare possum, sed jam  
falsa est minor, sic construenda. sed oculi  
sunt aliquid, quod habeo, & tibi dare possum,  
vel minore omisâ N. coa, propter transitum  
à suppositione accommodâ ad Absolutam.

**scimus:** Omne animal præter hominem est  
irrationale, omnis homo est animal, ergo omnis  
homo præter hominem est irrationalis.

**R.** In primis Medium non satis distribui,  
animal enim in Majore supponit pro solâ  
specie bruti, & in minore pro specie  
humanâ. Deinde ly: præter hominem, quod  
est pars medii ingreditur conclusionem, un-  
de fit, ut conclusio involvat duo contraria,  
sic enim exponitur: Omnis homo est irra-  
tionalis, excepto homine, quæ exceptio æqui-  
valet huic propositioni: Nullus homo est ir-  
rationalis. Formetur ergo syllogismus: Omne  
anti.

animal præter hominem est irrationale, sed omnis homo est animal præter hominem, ergo omnis homo est irrationalis, at minor tunc est falsa, si enim ly: *Animal præter hominem sumatur ut æquivalens uni termino, idem est ac brutum, & sic exponitur: Omne brutum est irrationale (vera) Omnis homo est brutum (falsa)* si vero ly: *Præter hominem sumatur prout & quia valet virtualiter inclusæ propositioni negativæ, sic exponitur minor: Omnis homo est animal & nullus homo est animal.* Ecce iterum duo contraria, quæ simul vera esse non possunt.

6tum: *Omne secundum sequitur immediate primum, omne tertium sequitur immediate secundum. ergo omne tertium sequitur immediate primum.*

R<sup>e</sup> Syllogitnum constare quatuor terminis, quia ly: secundum positum in Majore pro subiecto est medium, & in recto, in minore vero est in obliquo: neque est totum prædicatum, cum minor sic resolvenda sit: *Omne tertium est sequens immediate secundum, ubi patet, quod prædicatum sit: Sequens immediate secundum.*

7mum: *Nulla formica est major lepore, omnis leo est major formicā, ergo nullus leo est major lepore.*

R<sup>e</sup>. Laborate eodem vitio, & minorem sic dispo.

disponendam, omnis leo est formica, quam fallam nemo non videt.

8vum: Omnes electi sunt vocati, pauci sunt electi, ergo pauci sunt vocati, contra illud Christi. Multi sunt vocati, pauci vero electi.

R<sub>2</sub>. Distribui terminum: *vocati* in conclusione, qui in Majore non era distributus. Conclusio enim propter ly: *pauci* est virtuiter negativa, sic explicanda: *Præter aliquos nulli sunt vocati*, ubi ly: *vocati* est prædicatum propositionis negativæ, quod supponit distributivè, ex dudum dictis.

9nūm: *Omnis logica est vel naturalis; vel artificialis, non omnis logica est naturalis, ergo omnis logica est artificialis.*

R<sub>2</sub>. Committi Fallaciam divisionis, prædicatum enim majoris in sensu composito convenit logicæ in communi, utpote, quæ nec est tantum naturalis; nec tantum artificialis, sed indifferens ad naturale & artificiale, consequenter neutrum divisim de logicâ in communi enunciari potest, quod tamen sit in minore & conclusione, ubi *naturale & artificiale* invicem divisa prædicanter, simile vitium est hoc: *Omne animal est vel homo vel brutum, non omne animal est homo, ergo omne animal est brutum.*

10vum, *Vel Logica est scientia, vel non est speculativa, logica est scientia, ergo logica non est speculativa.*

R<sub>2</sub>. Com-

**R. Committi Fallaciae compositionis**, quia transitur à sensu divisivo majoris, ad sensum copulativum minoris simul & conclusionis, major enim est disjunctiva, atque ita exigit veritatem unius partis tantum, in fato autem syllogismo deducitur utraque pars, ut vera, in minore, quod Logica sit scientia, in conclusione; quod non sit speculativa.

**11mūm : Nullum immortale est mortale, cuiuslibet hominis altera pars (anima) est immortalis, ergo cuiuslibet hominis nulla pars est mortalis.**

**R. Ly : Pars non distributum in minore, distribui in conclusione.**

**12mūm : Nullus homo differt à rationali, omne brutum differt à rationali, ergo nullum brutum differt ab homine.**

**R. Peccari in eo, quod pars medii (medium est: Differens à rationali) ingrediatur conclusionem, deberet ergo sic inferri; ergo nullum brutum est homo, & foret syllogismus in Camestres, torus verus, quia ly: differt à rationali, habet sensum virtualiter negativum: non est rationale, atque ita foret Major: Nullus homo non est rationalis, minor: Omne brutum non est rationale, quæ propositiones per æquipollentiam sic exponuntur: Omnis homo est rationalis (quia: nullus**

2018

*non, & equivalet: Omnis) nullum brutum est rationale (quia: Omnis non, est: nullus) ergo nullum brutum est homo.*

*13. iūm: Omnis Imperator est homo, solus Carolus VI. est Imperator, ergo solus Carolus VI. est homo.*

*R. Ly. homo, non distributum in Majore, distribui in conclusione, hæc enim exceptiva est, sic resolvenda: Præter Carolum VI. nullus est homo.*

*14. iūm: Oculus est necessarius ad videndum, oculus dexter est oculus, ergo oculus dexter est necessarius ad videndum.*

*R. In primis medium. oculus non distribuitur. Deinde transitur à suppositione confusa ad determinatam, quia oculus in majore supponit contusè, pro, tet ly necessarius, quod est prædicatum confusionis. In minore supponit determinatè.*

*15. iūm: Nullum animal, dum quiescit, moveatur, omnis equus est animal, dum quiescit, ergo nullus equus moveatur.*

*R. Ly: Equus sicuti in minore cum restrictione ad quietentem, & in conclusione accipi sine restrictione, atque ita committit fallaciam dicti secundaria quid.*

AR.

## ARTICULUS ULTIMUS.

De Legibus &amp; Praxi Disputandi.

## PARAGRAPHUS PRIMUS.

Leges Disputandi.

**V**eritas Disputando inquiritur, S. Augustini <sup>23</sup>

I. sup. Genes. Sententia est, disputanti-  
bus observanda, ne juvenantes animos, au-  
daciā, etiā, pertinaciā insessos afferant ad  
argendum, respondendum, secus verita-  
tem ad cavillos aitonitam, altercando pel-  
lent à Curia ista, quam gravem amat,  
Philosophorum. Nec importunè in eam  
rem Cicero I. de Finib. Maledicta inquit,  
contumelie & concertationes in disputando per-  
tinaces, indignæ philosophiā videri solent.

Virtutis & Artis est ( OPPONENS notet <sup>24</sup>  
imo ) Argumento excusè digesto, non è  
cavâ manu excusso accedere, tum missis am-  
bagibus, aliisq; minutis Thesin ( quam sibi  
delegit ) ipsam posito statim medio invade-  
re, nec coacervatis synonymis, ludere lü-  
sum Grammaticalem. 2dō. Per decursum  
utatur Methodo Aristotelicā arguendi per En-  
thymemata, aut syllogismos eos ( quantum  
potest ) breves. Socratica methodus proce-  
dendi per continuas quæstiones, extra usum  
est, & liberior, quam pro disputando, cum

P

præm-

promptius eniteat veritas, si uterque disputans procedat (ut ajunt) in formā. Non tamen ineptum est inter arguendum pauca paucis quærere, & contra datum responsum instare. 3tō. Det Respondenti justum spatiū assumendi, nec argumentum positum mutatis (dum is assumit) terminis reformet. Det spatiū respondendi, & distinguendem, mentem suam brevibus explicantem non interpellet. 4tō. Negatam proposiūnem probet & inferat, alias defendens, salvo moderamine, jus habet replicandi, non infertur Negatum. Si distinctione data sit, directe instet, aut membrum negatum probando; aut si bene visum fuerit, ex membro concessō arguat ad intentum. Abstineat autem ab istis vulgaribus: quid negat? quare negat Majorem, major est certa, id enim fieri est; non Philosophati. 5tō. Si arguat ab Authoritate, fideliter citet locum, unde petiit textum, non mutilandum, aut si locum citare nesciat, textui parcat, secus à Respondente provocatus ad citandum, in ruborem veniet, & frustra fidem suam interpellabit. 6tō. si instet à pari, abstineat à commentatiis istis, quæ furfum instar cohærent, & tendunt ad quodlibet ex quolibet inferendum. Argumentum paritativum optimum est, cuius paritas nititur ratione. Datā semel

mel fundamentali Disparitate, ludicrum erit eandem paritatem adduplicare, idem clamando: detur iterum iterumq; & tertium Disparitas, quasi objecta paritas esset *identitas*, & amitteret conditionem suam, quam propriam habet, *claudicare*, frusti a insuper petitur fieri satis, si temel factum satis, nec melius poterit; quām ex fundamento, quod abinde arguens impugnet, aut Plato quiete re jubet. 7mō Nunquam patiatur in te devolvī onus Respondendi, secūs, ut erat armatissimus antē, videbit mox excussum se, & elusas vires argumenti elanguere. Fiat etiam, ut Respondens argumentum retorqueat, non tenebitur (nisi velit parcissimè) retorsioni respondere, satius erit retorsionem transmittere, & petere solutionem argumenti.

*RESPONDENS*. Notandum habet 1mō. 26  
Nam Arguens est in proponendo, perbene attendat, & exceptum animo syllogismum, voce clarā & alaci (non lento murmure) totum fideliter, non mutatis terminis ab Arguente positis assumat, quod commodè præstabat, dummodo ad medium advertat, & si probetur propositio negata, eam partet mente teneat. Inter assumendum præfens tibi cogitet, quam propositionem concedat; quāmque neget, & dein' assumptum

syllogismum resumat, resumptam Majorem concedat, si vera sit. Neget, si falsa sit. Transmittat, si dubia sit vel impertinens, aut, si opus distinctione, aptis terminis distinguat. Majore negatâ sistat, & audiat probationem. Majore concessâ resumat minorem, eâmque vel neget, vel distinguat, aut ( si syllogismus vitiosus sit ) concedat vel transmitiat, & negatâ coâ vitium dегат. 2dō. Quanquam transitus in tantum juvet Defendantem, ut ei maneat integrum, propositionem transmissam deinde Negare, raro tamen dicendum: transcat, & non nisi dum ex merito rei. Ceterum, si Opponens petat rationem transitus, assigneatur, quod modestius est quam propositionem transmissam, petitâ causâ transitus, mox negare, nisi provocet ardentior Argumentans. 3tiō. In omni bono syllogismo distinguenda sunt propositiones due, sive Major & minor, sive Major & consequens, sive minor & consequens, ne tamen dicat distinguo consequentiam, quam simpliciter concedendam vel negandam alibi dictum est. Datam distinctionem ne multis explicet, alias Argenti suggeret arma, rogatus eam breviter exponat, non rogatus fileat, & alteri det copiam instandi. 4tō. Si argumentum sit à pari, & antecedens verum.

con-

concedat, pergit ad consequens, quod, ubi locus est, ad rem natam distinguat, aut Negatâ consequentiâ det disparitatem. Novitii inventi est, dato antecedente sic laniare consequens: si sit paritas: C. coam, si non sit paritas N. coam, & tum velut sub prætextu directè instandi urgere Arguentem, ut probet esse paritatem. Dum iste jure petit disparitatem dandam sibi. 5to. Si argumentum sit ab Authoritate eam (quam resumet vel totam, si brevis sit; vel in compendio, si longior) extra formam explicet, aut respondeat hac formulâ: *explico textum sub distinctione*, tum distinguat. 6to. Si Arguens vagetur ad materiam altioris scholæ, v. g. ad Theologiam, aut arguat ultra materiam subjectam, comiter monendus est, ut sistat intra limites materiæ ad disputandum datæ. Perindè Philosophus adstrictus non est ad respondendum difficultatibus Theologicis aliisque extravagantibus, nisi fors ex iis aliquas ipsa sibi adsciscat Philosophia, ut *Deum in Logicâ de Ente Rationis & Prædicamento substantie*, *de Universalibus naturam Angelicam*, *in Physicâ de causis Sacraenta*, *Concursum Dei*, *in Oct. Phyl. Æternitatem mundi &c.* At nec in his ad plura cogitur Philosopher; quam prospictrâ & lege suâ. 7mo. Teneat Reg.

pondens conditionem suam , & nunquam subeat partes Opponentis. Dum res exigit , poterit indirectè ad argumentum respondere Retorquendo , non tamen in nudâ retorsione sistere debet , addendâ insuper responsio directa vel in formâ . Demum , Adtemperet se personæ & qualitatibus Argumentis , ei gravi præstet se submissè gravem , moderato moderatum. An fervido tervidum ? non ità , memor veteris dicti ; irato telum eripe , occurrat voce & animo temperatè vivido , sic mens collectior erit ad Respondendum , quanquam patientia læsa facile inardeat , & intentum ab Adversario plausum dividere amet.

## PARAGRAPHUS SECUNDUS,

### *Praxis Disputandi.*

26 **A**Uspicatur Disputationem *Defendens* stans , & præfatus SS. Trinitatem legit unam alterámve Theslin , & pergit : *Probatur Ima Thesis* , probat imam , tum alteram , si Præsidi ità videatur , secus dum is inquit : *Offerantur* , *Defendens* Theles offert , hâc formulâ : *Has Theses ex parte probatas ultrius examinandas offerimus* ( titulat præsentes ) *titulosq; absolvit sic* ; *Ceterisque Domini Auditoribus* . His dictis stat . Deinde invictatus ,

Op-

*Opponens* surgit, ait: *Habeo gratias pro hu-27  
manissima invitatione, argumentaturus contra  
Thesin* (*Thesin numerat, v. g 2dam, de  
Terminis*) *dicentem* (*legit*) *quod Copula non sit  
terminus, pono tale medium*: *Subjectum propositionis*  
*est Terminus, sed copula est subjectum propositionis,  
ergo copula est Terminus.*

*Defendens*, antequam assumat, præmit-<sup>28</sup>  
tit hanc formulam *Argumentaturus*: *titulatur  
Opponens; Doctor Theologæ Plurimum  
Reverendus, Eximus, Sapientissimus Dominus  
vel Pater* (*alias pro gradu & officio*) *Ad-  
modum Reverendus & Doctissimus, Reve-  
rendus Dominus vel Pater, Religiosus Fra-  
tar, Ornatus & Eruditus Dominus*) *contra  
Theses nostras elegit sibi Thesin 2dam de Termi-  
nis, dicentem*: *Copula non est terminus: contra  
quam ponit tale medium* (*assumit totum syllo-  
gismum*) *Subjectum Propositionis est Terminus, sed  
Copula est Subjectum Propositionis, ergo Copula est Ter-  
minus. Sic assumpto syllogismo pergit: Quan-  
doquidem sic argumentatur, resumo & respon-  
deo. Si Opponens sic Doctor Theologæ,  
Defendens stat per totum argumentum,  
alias sedet, & resumit: Subjectum Propositionis est  
Terminus (*Respondet*) *Concedo majorem* (*re-  
sumit minorem*) *sed Copula est Subjectum Proposi-  
tionis* [*Respondet*] *negominorem**

*Opponens: Probo minorem, Hæc est vera  
Propositio: Copula non est Subjectum Propositionis,  
ergo Copula est Subjectum Propositionis.*

Defendens assumit totum Enthymema, deinde resumit ant. & respondet *Concedo ant.*, resumit cons., & respondet *Nego Coam.*

**Opp.** *Probo Coam.* Si vera sit hæc Propositio: Copula non est Subjectum Propositionis, ergo Copula est id, de quo aliquid dicitur, sed id, de quo aliquid dicitur, est Subjectum, ergo si &c.

**Def.** assumit, resumit, respondet: *Distinguo Sequelam majoris*, Ergo Copula signatè sumpta est id, de quo aliquid dicitur *C: Sequelam Majoris.* Copula exercitè sumpta, *N. Seq. Maj.* Relatum minorem, & respondet: *Concedo minorem*, resumit *Cons.* & distinguit: Ergo Copula signatè sumpta est Subjectum Propositionis, *Concedo coam.* Copula exercitè sumpta, *Nego Coam.*

29 **Opp.** *Contra.* Sed etiam in dicta Propositione Copula exercitè sumpta est subjectum, ergo contra solutionem, **Def.** *All.* *Rel.* *Rdet:* *nego minorem subsumptam.*

**Opp.** *Probo minorem subsumptam:* Illud est Subjectum propositionis, de quo aliquid vel affirmatur vel negatur, sed in dicta propositione de copula exercitè sumpta aliquid negatur (retervat probationem, negatur, quod sit subjectum) ergo &c.

**Def.** *All.* *Rel.* *maj.* respondet: *Concedo majorem*, *Rel.* *min.* *Rdet: distinguo minorem* Sed in dicta Propositione de Copula sumpta exercitè quoad exercitium nominis significantis, negatur quod sit subjectum, *Concedo min.* de Copula sumpta exercitè quoad exercitium verbi copulantis *nego min.* *Res.* *cons.* & respondet: Ergo Copula sumpta exercitè quoad exercitium nominis significantis

nificantis est Subjectum & Coam. Copula sumpta ex exercitè quoad exercitium verbi copulantis N. Coam. Explicat (si petatur) in dicta propositione ponitur quidem pro subjectum vox: **Copula**, quæ est nomen exercitè significans, non tamen ejus subjectum est Copula exercitè uniens prædicatum subjecto &c.

Peracto postmodum Argumento, absolvitur Opponens, solenni formulâ:

*Habemus Gratias,*

*Hic terminum obtinet à Terminis coepit via  
Brevis ad Logicam. Age ( bono tuo strata Via  
est ) PHILOSOPHE MONTANE , stu-  
diosis eam passibus animi curre , decurre. Fixi  
in Biviis Indices informabunt dubium te , &  
dirigent , ut rectam teneas , & Cursum  
Philosophicum iude multâ  
consummes.*



## INDEX

# INDEX INFORMATIONUM.

Prænotamen Generale de Naturâ Dialecticæ  
Et Tribus Operationibus mentis. Pag. I.

## PARS PRIMA,

*De pertinentibus ad simplicem Apprehensionem.*

### INFORMATIO PRIMA.

*De Terminis.*

Artic. I.	De Naturâ termini Vocalis,	6
Artic. II.	An Voces extra Propositionem sint actu Termini.	12
Artic. III.	De Divisione Termini Vocalis.	16
Paragraph. I.	De quinque primis divisionibus termini Vocalis.	
Paragraph. II.	De Cæteris divisionibus termini.	17 30

### INFORMATIO SECUNDA

*De Nominе Verbo & Oratione.*

Artic. I.	De Nominе.	38
Artic. II.	De Verbo.	42
Artic. III.	De Oratione.	47

### INFORMATIO TERTIA.

*De Modis sciendi.*

Artic. I.	De modo Sciendi in Communi,	50
Artic. II.	De Definitione.	53
Artic. III.	De Divisione.	61

## PARS SECUNDA.

*De Pertinentibus ad Judicium.*

### INFORMATIO PRIMA.

*De Propositione.*

Artic. I.	De Naturâ Propositionis,	65
Artic. II.		

# INDEX.

Artic. II. De divisionibus Propositionis.	68
Artic. III. De Propositione Hypotheticâ.	81

## *INFORMATIO SECUNDA.*

### *De proprietatibus terminorum intra Propositionem.*

Artic. I. De Naturâ suppositionis.	85
Artic. II. De Divisionibus suppositionis.	88
Artic. III. De cæteris Proprietatibus Terminorum.	100

## *INFORMATIO TERTIA,*

### *De Proprietatibus Propositionis.*

Artic. I. De Oppositione.	110
Artic. II. De Æquipollentiâ.	122
Artic. III. De Conversione.	127

## *PARS TERTIA,*

### *De pertinentibus ad Discursum.*

## *INFORMATIO PRIMA,*

### *De Argumentatione & ejus speciebus.*

Artic. I. De Naturâ Argumentationis.	135
Artic. II. De Divisione Argumentationis.	144
Artic. III. De Syllogismo.	149

## *INFORMATIO SECUNDA,*

### *De Principiis Syllogismorum.*

Artic. I. De Materiâ Syllogisini.	153
Artic. II. De Formâ Syllogismi.	156
Artic. III. De Principiis extrinsecis dirigentibus.	168
Artic. IV. De Regulis Generalibus Syllogismorum.	175
Artic. V. De Regulis Specialibus Syllogismorum.	185
Artic. VI. De Principiis extrinsecis perficientibus, Modus Facilior Reductionis ostensivæ.	188
Modus Facilior Reductionis per Impossibile.	193
	204

INFOR-



# INDEX

## INFORMATIO TERTIA,

De Argumentatione Sophisticâ. 207

Artic. I. De Locis Sophisticis.	208
Artic. II. De Modo respondendi ad Fallacias;	217
Solvuntur quædam Sophismata.	219
Artic. ult. de legibus & Praxi disputandi.	225
Paragr. I. Leges disputandi.	
Paragr. II. Praxis disputandi.	230



posuimus, explicare, videlicet quid verificari, &  
edicari possit, de ipsis nominibus in abstracto  
et in concreto? Circa quod duæ regulæ assignari  
ent.

Prima: Actiones, vel productiones significatae per  
dum actionis non possunt prædicari de relationi-  
s, & notionibus in abstracto, bene tamen in con-  
creto: sicut ista non est bona prædicatio Paternitas  
herat, filiatio spirat, filiatio generatur: ista autem  
prædicatio est bona, Pater generat, filius generatur.

Secunda regula: Propositiones significantes non  
ionem in vi actionis, sed convenientiam, & iden-  
tatem unius ad alterum, æquè prædicantur de  
tractis, ac de cōcretis, nisi prædicetur una re-  
o de altera: talis enim prædicatio semper est

1. Exemplum primi: Paternitas est pater, vel est  
us, vel est Deitas, & similes, omnes sunt veræ.  
Exemplum secundi: Paternitas est spiratio activa,  
falsa, ut suprà diximus *præced. art.* Multò magis  
est, si una relatio prædicetur de sua opposita,  
Paternitas est filiatio, haec enim non solum est  
a, sed hæretica quia destruit mysterium. Utra-  
regula sumitur ex S. Thom. *in hac. q. 32. art. 2.*  
2. ubi negat actiones tribui notionibus in ab-  
stracto, ut paternitas generat, paternitas creat: posse  
ien propter identitatem substantiva personalia,  
essentialia dici de notionibus.

Ratio primæ regula illa est, quia actiones non  
sunt verè attribui, nisi principiis operativis.  
incipium autem operandi in concreto, & ut *quod*  
psum suppositum seu subsistens: principium o-  
undi ut *quo*, est forma, quæ est ratio agendi, & per-  
t ad naturam, seu virtutem operandi, sicut intel-  
l dicimur intelligere, voluntate velle. At vero

Circa secundu-  
derari debent alia  
ad jungi, seu perso-  
ralitatem, vel sol  
Patrem esse alienum  
Trinum, &c. de q  
autem quatuor o-  
rum. Quidam pe-  
tem ei oppositam  
nomen *alius*, ali-  
tatem, ut *ly unius*,  
ut *ly Solus*, tantum  
diveritatem, ut *o-  
mplex*, & simili-

Prima regula  
gitur personis, i  
stantivè. E contra-  
citur de personis,  
tur terminus trah-  
dicitur Pater, &  
enim unitas in di-  
dum est de hoc n-  
attribuitur perso-  
*Deus*, ut cum dic-  
tem attribuitur i-  
dum est hoc nom-  
tum quia eadem  
tur masculinè, &  
relativum, & re-  
quando referre i-  
in natura, & est u-  
Th. *bis q. 31. 2.*  
*de ad Petrum* &  
nomine *Alius*; R.

